LVDOVICVS
MAGNVS

LUDOVICUS MAGNUS FRANCORUM REX CHRISTIANISSIMUS

HEROICO METRO,

Attextisque Notis expressus.

AUCTORE

FLAMINIO LUPO

MIRANDULANO

E SOC. JESU.

BRIXIÆ M. DCC.

Apud Jo: Mariam Ricciardum Jmpress. Episcop.

SUPERIORUM CONSENSU.

LVDOVICO MAGNO FRANCORVM REGI CHRISTIANISSIMO.

ORbi Achillem nouum repræſentas, REX JNVICTISSIME, nec heroicæ virtutis præconem Homerum ad immortalitatem requiris. Nomen

à Te

à Te vno trahis perpetuum; quin èt Poesis ipsa mansuram gloriam mutuatur. Vt sit vena pauper, & carmen humile, ditatur tamen argumento, quod sufficis, & grandescit in famam. Itaque, Rex Potentissime, quam triumphis, & belli, & pacis texuisti Vitam, numeris ego complexus, Opus in paruo Magnum, idemque pretiosum, de Tuo perfeci, Tibiq; vni sacrandum meritissimò censui, ne rem Domino iniurius adimerem: Gratum fore hoc laboris mei

spem

ſpem facit in Muſas amor, quem cum ſanguine à Carolo Magno Nepotum Maximus deduxiſti! Quamquàm, vt verè dicam, minus inire gratiam deberet, cum laudet infrà meritum, licèt ſuprà communem Regum conditionem attollat: At crimen Geſtorum eſt, ſi crimen cadit in decora, quæ ſcribentem mole obruunt ſuà. Plura nihilominùs videri poſſent adulatione illita, niſi etiam ab inuidià commendarentur: plura per ampullas iactata, niſi factis hyperbolen vince-

res. Sanè, cum Te cano (Patere, Rex Fortissime, offensam moderationi tuæ grauem, sed tamen iustam) Cum Te, inquam, cano maiorem Achille, maiorem Hercule, vel commentitio, maiorem Alexandro Magno, Pompeio Magno, Carolo Magno, Demetrio, qui Vrbium Expugnator appellatus, Traiano, Annibale, Iulio Cæsare, Octauio Augusto Cæsare Magno, Constantino Magno, Iustiniano Cæsare, Numa, alijsque priscis, cordatissimis Regibus Conditoribus legum,

gum, & Assertoribus, nullius adulatoriæ auxesis affinis sum; quippè qui factorum datà serie Historicus narro; rationum momentis Orator firmo; metri potiùs harmonià, quàm fabulà ad veri merum ornatum quandòq; insertà, Vates pango. Meritò igitur nomenclaturà æquè numerosà, atque splendidà, exaratis vt plurimùm expressà Numismatum Notis, dictus Adeodatus; Partor Regnorum; Octauij Augusti titulo, Pater Patriæ; Pater Nobilitatis; Pater Populorum;

Pater Exercituum, & Ductor ſemper Felix ; Bonarum Artium Remunerator ; Religionis Aſſertor, & Vindex ; Arbiter Pacis, & Belli ; Sociorum Defenſor ; Victor Perpetuus ; Orbis Pacificator ; Hercules Gallorum Auguſtus ; Sapiens, Pius, Inuictus ; Patris agnomine Iuſtus, etiam à tenero ; & cum olìm Lugduni ageres, Auguſtus ; nunc autem vbique, omnium gentium linguis, atq: literis, tui iuris voce, & vocabuli proprietate MAGNUS. Tot, tantoſque Titulos

excedunt,

excedunt, ne dùm æquant ducentæ vrbes captæ: ducenta, & decem oppida munimentis, & arcibus firmata, & alia insupèr de integro condita: quadringenta florentium militum millia, demptis sexaginta millibus Personis Nauticis, itemq; Classiarijs, perdiù sub signis habita: fracta Turcarum armata superbia: Afrorum fulminata petulantia, & prædæ exturbatæ: vindicata æquora in libertatem commercij, & noua commercia in Indos vsque prolata: Alpes in

iter planum apertæ: prodigiosà fossione iuncta Maria: bella ciuilia, & domesticæ internæ turbæ perpetuùm sedatæ: bella externa quamplurima terrà, marique felicitèr gesta: singularia certamina Gallis familiaria prorsùs abolita: spontè pacis otia Orbi facta: Regna extera in tutelam recepta, validèque protecta: Regni confinia longè, latèque vel in Indiam porrècta: Artes omnes bonæ, & Scientiæ mirum in modum promotæ: profusa in literatos homines, & industriosos artifices

tifices præmia: immania paſsìm toto Regno Ædificia extructa: Lycea, Academiæ, Collegia, Cænobia, Xenodochia, Seminaria militaria vrbana, & marina excitata: Templa vltrà quinquies centena erecta, & amplis dotata prouentibus; Fana Caluinianorum euerſa; profligata hæreſum monſtra, & peruicacium centenæ hæreticorum myriades eiectæ Regno; vicies centena millia Caluiniſtarum ad Catholicam Romanam Eccleſiam reuocata; Miſ-

ſiones, magno Fidei incremento, in ſemotas gentes propagatæ; & Miſsionum ad Exteros Seminarium Pariſijs fundatum; inducta Aulæ pietas, & Caſtris Religio; ſcelera generatìm inflictis pœnis repreſſa; nouo condito Iure compoſita Gallia; Exempla Chriſtianæ pietatis publicè populis data; Publica, graſſante fame, per vberem annonam non ſemèl leuata calamitas; mancipiorum greges Barbariæ vinculis, & eiurandæ Fidei ſubducti periculo; Iacobo Angliæ Regi;

Re-

Reginæ Coniugi, & Filio Principi Uualliæ exulibus diù hoſpitalis Aula; ſplendidæ Regum barbarorum Legationes miſſæ ad obſequium, & fœdus; præter alia id genus ſexcenta, quæ legentibus Opus hoc meum admirationem neceſſariò creabunt: hæc, inquam, innumera, immenſa decora prægrandibus titulis, quibus Te ſalutamus, ſpeciem omnem aſſentationis abradunt. Nihil igitur Poeta commenticiæ laudis affingam, multum iuſtæ commendationis, Musæ tenuitate de-

mam;

mam; cuius damnum obſequio veriùs vberiore, quàm ſtylo penſaturus, Opus aliud, Artem ſcilicet Poeticam, geſtis ſubindè tuis, ceù gemmis, illuminatam, luci publicæ breui cõmittam. Hunc interim Prodromum, qui verecundià Maieſtatis ſe timidum ſiſtit, diuinà propè facilitate, qua tuos, & exteros mirè deuincis, excipiendo fortunes. Vale, & Bonorum amori, timori ſontium, terrori hoſtium, Scientiarum, & Artium incremento, Fidei dilatationi, Catholicæ

Reli-

Religionis tutamento, Omnium admirationi, Sæculi gloriæ, Mũdi ornamento, & triumphali Galliarum felicitati diutiſsimè viue.

Maieſtati Tuæ

Deuotiſſimus
Flaminius Lupus è Soc. Ieſu.

NOI REFFORMATORI
dello Studio di Padoua.

Hauendo veduto per Fede di reuisione, et approbatione del P. F. Giuseppe Maria Tabaglio Inquisitore di Brescia nel Libro intitolato : Ludouicus Magnus Francorum Rex, &c. Auctore Flaminio Lupo Mirandulano è Soc. Iesu, *non esserui cosa alcuna contro la Santa Chiesa Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro niente contro Prencipi, e buoni costumi; concedemo licenza à Gio: Maria Rizzardi, che possa stamparlo, osseruando gli Ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie nelle publiche Librarie di Venetia, e di Padoua*

Dat. 13. Genaro 1699.

{ Aluise da Mosto Proc. Reff.
{ Ferigo Marcello Proc. Reff.
{ Girolamo Venier Proc. Reff.

Agostino Gadaldini Segret.

LUDOVICUS MAGNVS.

OTia Pindus agat, diſcantque ſilentia lauri,
Vocaleſque lacus, cantum quibus indit Apollo;
Promimus Aonio maiorem culmine Regem,
Et facta imparibus non attentanda Camœnis.
Auſpicium commune vacet; modulator ab vrna
Sequana ſe in numerum franget, colleſque propinqui,
Parnaſſo cedente, canent; mihi Cynthius alter,
Et melior, neruos animat: neque laurea vates
Serta legam, pretium dant AUREA LILIA plectro.
Principium tamen altus habet ſtupor; obruta laude
Et chelys, & timidę ſumunt exordia chordæ.

1. Aurea palmatæ LODOICO stamina vitæ,
Dum se opere ingenti sentit natura minorem,
Prodigium orditur; raris miracula cunis
Prolusisse ardent, terrasque implere futuri,
Et nondum exorto famularier obuia Regi.
2. Jam quinto thalami sub lustro conscius Atlas
Stellatum librat pondus, nimiùmque moratur
Aucturam heroas sobolem; succisa Parentis
Spes vtero; prouecta Annæ quid spondeat ætas?
Pur-

1. *Ob longam Reginæ Matris Annæ Austriacæ sterilitatem, ortus Ludouici prodigio par habitus. Sanè Cossartius in suo Panegyrico Ludouicum miraculo vitam ingressum asserit. Et Hadrianus Iordanus in suo item Panegyrico*: Non hîc dicam, *inquit*, eum ità natum esse, vt totus è cœlo, & Adeodatus fuerit; neque illum verò alijs oculis aspicere possumus, quàm quibus cœlestia, vel oblata diuinitùs miracula pleni reuerentia intuemur.

2. Annus iam tertius supra vigesimum agebatur, *inquit Petiotus in Genethliaco Ludouici*, ex quo Christianissimo Regi sobolem coniunctis vocibus precabamur; sed ipsa vox clamando defecerat &c. *Nascitur*

Purpurat haud botro vitis, cum fluxit aprili
Multa charis, nullæque tument in palmite gemmę.
Sed leges Tibi, Magne, silent, quas limite certo
Signatas fixit Naturæ immota potestas;
Attonitaque venis aluo, cum nescia fœtus
Hæreret longùm, surgisque ad gaudia regni
Tardus; in ingenti si gratia munere tarda est:
Sat mora pensatur pretio: sic montibus aurum
Flauescit, serique micant adamantis honores.
Ut Matris tumuit pretioso pignore venter
Ditior, & properat vicini gloria partus,
Protinùs æthereo vigiles in vertice flammas
Ambitio suspensa rotat, quę prima vocetur
Augurio, radijsque notet felicibus ortum.
Promptior Ursa duplex, & nunc tardare Bootes
Jmpatiens, spirisque vagus non sontibus Anguis,
Quique oculis dulci modulatur lumine Cycnus,
Perseusque, Alcidesque, auroque timendus Orion
Certat, & incensis passim confligitur astris.
At Nemees quondam syluæ, nunc ætheris horror
Lucidus, ac teli custos pennata trisulci
Maturant decus, & pulchro dignantur honore;

Namque vbi læta ſonat primis vagitibus Aula,
Et ſocio regni pignus complectitur oſtro,
3. Excuſſis properè villis feralibus alter,
Altera fulminibus, fauſtum nodantur in ignem,
Vimque amplam arcanis aſpirauere medullis,
Celſum Aquilæ vt Puero, magnumque Leonis ineſſet.
O' nimiùm dilecte Deo, cui duplicat ingens
Auſpicium cœleſte iubar, cui prodiga fulget
Largiùs ad cunas ſtellis maioribus æthra!
Olim quantus eris (nil certius) aſtra loquuntur.
4. Altius augurium meliori at Sidere venit:

Implo-

3. *Naſcitur Ludouicus anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo octauo, quintà Septembris, quo die ſolo fiunt coniunctiones ſtellarum Aquilæ, & cordis Leonis, quæ dicuntur primæ magnitudinis. Extat in hanc rem pulchrum ſanè diſtichon chronologicum Claudij Godartij*

eXorIens DeLphIn aqVILæ, CorDIſqVe LeonIs
CongreſſV, gaLLos ſpe, LætItIâqVe refeCIt.

Ex cuius literis maioribus habetur annus 1638.

4. *In hanc rem Numiſma reperies apud Claudium Meneſtrier,*

Hiſto-

Jmplorata tuos regali voce Parentûm
Dia Parens ortus, Stellarum Prima, fecundat,
Et præit irradians, radijsque fauentibus vsquè
Ambiet, in sacrâ, dum Tu Aureus Æde micabis
Laureti, laurusque Tibi sic fundet, vt vnâ
Auulsâ, extemplò felicior altera crescat,
Et similis crebro frondescat virga triumpho.
Intereà auditi spumantes feruere motus,

Et cer-

Histoire du Regne de Louis le Grand par les Medailles, Emblemes, Deuises, jettons &c. in quo expressum Signum Virginis cum lemate alludente ad Deiparam

Optato tandem sub Signo Virginis ortus.

Certe Rex Ludouicus XIII. *Pater, & Regina Mater in argumentum grati animi pro eximio beneficio impetratæ prolis à Deipara, Lauretum dono miserunt ex auro solido Puerum arte mira elaboratum, Iconem Delphini, argentei Angeli manu sustentatum, qui ad dexterum cornu altaris Deiparæ collocatus, addita epigraphe:*

Acceptum à Virgine Delphinum
Gallia Virgini reddit.

Quicquid

Et certare polo, fluuiorum vbi clauſtra ſecundus
Vitrea rumor init, Diuoſque cubilibus vdis
Excitat irriguos, vndoſaque pectora pulſat.
Exeruere citi, reſerato gurgite, vultus
Cęruleos, hilareſque noua ſub ſtemmatis vmbra,
Quam lauri augurio ſpargunt, *non vilis* arundo,
Et pronis fudere *vrnis* in gaudia rores
Segnitiem tunc oſus Arar, faſtumque Garumna,
Et Rhodanus, Ligeriſque ſonans, & Sequana felix
Ante alios, cunis propior dum Principis vndat,
Subiectoſque iubent curſu bis præpete fluctus
Nuncia cognato gratiſſima voluere Glauco.
5. Borbonio referant, ſublimi vt ſanguine miſto,
Et ſimul Auſtriaco, duplici quo nomine Mundus
Nititur, in ſæcli famam ſurrexerit Infans,

Qui

5. Quicquid erat, *inquit Hadrianus Iordanus*, in orbe terrarum auguſtiſſimi, ac pretioſiſſimi ſanguinis in eum ità natura transfudit, vt ſuperior Auſtriaco nomine videatur, & Francico maior; quippe qui vtramque gloriam vnus, hoc eſt tot maieſtatem regnorum, atq; imperiorum repręsẽtet.

Ducto

6. Qui pelagus pelago nectat; terriſque recluſis,
Jura per inſolitos laxet Neptunia tractus,
7. Præcurratque Patrem, cuius molimine vaſto
Æquora conuerſa in valles, propulſaque Doris
Longiùs, & fractæ domitis Tritonibus arces.
8. Vos quoque fluxiſtis liquidi ad commercia plauſus
Dubis ouans alacri lapſu, lymphiſque Moſella,
Et Moſa feſtiuis, & pleno murmure Rhenus,
9. Eridanuſque pater, iam maieſtate remiſſa,
Populeas inter ludis iucundior vmbras;
Nempè datur ſceptro Dominum ſentire potentem
Venturo,

6. *Ducto per Occitaniam ingenti canali, de quo infrà fusè.*
7. *Ludouicum* XIII. *Rupellæ domitorem, de quo Poeta Italicus.*
Vinſe l'inuitta Rocca, e de' vaſſalli
Spezzò l'orgoglio à le rubelle fronti,
E meditando inuſitati ponti,
Diè fuga à mari, e li conuerſe in valli.
8. *A' multiplici victoria, & triumphis in Burgundia, in Belgio, & Germania futuris.*
9. *Ob Caſale ad ſuas ripas ſitum à Ludouico obtinendum.*

Quam

Venturo; palmas qui digerat ordine longo;
Et ripas Daphnes vmbris illustribus ornet.
10. Sola fremunt, Erebo quæ pascit monstra sodali
Hæresis, & cæcá latebras formidine quærunt,
Alciden confessa nouum, mœstumque timorem
Pallida Threijciæ vulgarunt cornua Lunę,
Jllius opposítu summos passura labores,
Cum fortunatos palmis onerauerit annos.
Nec perculsa minus vagitu, Hollandia, palles,
Atque tuis cunas ratibus feralè minantes,
Fulmineamque manum terrâque, marique tremiscis.
11. Tantum fama potest, vel lactea, Regis in hostem.
Jpsi nascuntur tecum, LODOICE, triumphi,
Et tecum lactent, crescuntque, & robora sumunt.

Quæ

10. *Quàm feliciter profligata fuerit hæresis à Ludouico; quantùm sibi Turcæ re ipsâ, & iurè timeant; qualem acceperint cladem Hollandi, infrà pleniùs.*

11. *Dux Vimariæ, vix concepto Ludouico, Lausemburgium, & Reinfeldum capit; idem, vix nato, expugnat Brisiacum.*

Millareus

Quæ, duce Vimario, magnos præcesserat ortus
Anteuolans, laurisque Annæ vallauerat aluum,
Nunquàm pigra sequi pronis victoria pennis,
12. Millareum acuit, sociosque ad grandia Francos
Gesta, Chatillonum, Scioneum, & fortia bello
Corda, Sciombergum, Guebrianumque, Harcuriũque,
Et Longauillum dextràque, & stirpe potentem.
Te nato, maiora petant, Gallique Leonem
Oppositum terrore premant, raptisque trophæis
Bellica lactenti forment cunabula Marti.
Omnibus extemplò pugnæ calor incidit; & iam
Aduersæ inclinant acies, disiectaque valla

12. *Millareus castrorum Præfectus, dum lac sugeret Ludouicus, Hesdinum expugnat in Artesia, & subindè alias arces. Anno secundo ab ortu Regis, idem Millareus, cum Scioneo, & Chatillono Castrorum Præfectis Atrebatum capit. Dux Longauilleus, & Comes Guebriani ad Rhenum strenuè rem agunt, captis Loricho, & Freybergo. Millareus itidem cum Sciembergo castrorum Præfecto Ruscinonem Gallico imperio restituit.*

Plus ad vagitus, quàm rauca ad classica nutant,
Jngestasque dolent Pueri virtute ruinas.
Hosticus exundat sanguis, dum roscida lactis
Sugit, & armorum delibat in vbere sortem:
Non annos, mensesque olli, sed laurea signat
Crebra diem, & tenero viuax frondescit honore.
Omnia nunc speret crescente á Principe Gallus;
Nullum erit in nimijs votum damnabile votis;
13. Plus, LODOICE, dabis; subitò spectabilis Orbi
Plus tua promittit præstanti in corpore virtus.
Gratia

13. *Ludouici dotes in adolescentia fuere ex Petro de Vallognes in suo Panegyrico; dignitas oris, quæ in virilem se pulchritudinem è puerili formositate citò collegit ad omnium amorem; verecundia singularis ad flagitij speciem leuissimam; præcox, atque antè annos accelerata grauitas ad omnium venerationem; spectata morum innocentia; moderatio animi eximia; summa in Deum religio, quam à parentum sanguine hausit, exemplisque duxit: proceritas sub initium adolescentiæ, quæ velut ad imperium assurgeret; firmitas, & nerui, flexibilisque ad omnem palestram structu-*

Gratia stellantis libata è floribus oræ
Jn vultus numerosa migrat, cui martius ardor
Jt comes, & niuei verecundia tessera cordis,
Et grauitas celeri veniens modò concita gressu,
Temperiesque animi tranquilla, & cerea solùm
Jn rectos duci mores, cœlumque vereri.
Continuò membris animos imitantibus, altùm
Assurgit, neruique valent; declarat Achillem
Usquè vigor dexter, penitùsque accommodus armis,
Siuè tubo explodat plumbum, seù dirigat hastas,
Aut vibret exertum per ludicra prælia ferrum.
Rex patet incessu; vel si, mirante lupato,
Exercet moderator equum, rapidumque vicissim
Jmpellit, reuocatque, & turbine versat anhelum
Multiplici, quà dexter agens, quà læuus in orbem;
Aut micuisse iubet surgentem, & saltibus ictos
Implicitis vexare Notos, subitàque citatum

 Stare

structura membrorum; totius corporis conformatio, in qua inerat eximium quiddam, & ad significandam naturæ bonitatem expressissimum.

Assue-

Stare morà, cœlo delapſum Caſtora credas:
Et placet, & terret; dum purpura floruit æui,
Sic oculos, ſic ora tulit formoſus Apollo,
Mox ſua dicturus matura oracula Delphis:
Mars quoque talis erat, cum feruidus igne iuuentæ,
Seque magis, Geticâ terroris ſemen arenâ
Spargeret, atque ipſo ſignaret prælia luſu.
Grandeſcit geminum LODOICO Numen in vno:
Totus in egregio iuuenis Latonius ore
Spirat, & infragili totus ſub pectore Mauors.
Nunc tempus magnà crinem vinxiſſe coronà,
(Magna alijs, Te Rege minor) dextràque magiſtrà
Tractaſſe immiſſas regni cupientis habenas.
Seriùs oblatum queritur Tibi Gallia ſceptrum,
Indignata moras legum, & cunctantia iura,
Dum poteras Rex eſſe puer; robuſtius æuo
14. Conſilium, & tardis ſurgens prudentia luſtris

Venerat

14. Aſſueuimus, *inquit Dozennius de Ludouico*, ab ipſa Regis pueritia delectis eiuſdem effatis, quæ velut oracula non ſine Religione audiebamus.

Ipſe

Venerat antè diem, docilique in corde ſedebat
Præceptrix, ſeniumque dabat puerilibus annis.
15. Te Mazarinus Romano murice maior,
Quo fulſit, clauoque Orbis mens apta regendo,
Verſare immenſos paruo ſub pectore ſenſus
Admirans, regni diſcit præcepta magiſter,
Dum tradit, radioſque tuo de lumine libat.
16. Lux tandem exoritur decreta, & diuite venà
Irrorans, auri ſincero depluit imbre,
Quo maduiſſe Rhodon perhibent, naſcente Mineruà,
Fuluaque felici portendit ſæcula Gallo.
Feruet opus Procerum, viduiſque ex urbibus omnis
Urbs ruit, & voti pleno volat impete Regnum,
Quò noua ſacrando rapiunt ſpectacula Regi,

Exertòque

15. *Ipſe Cardinalis Mazarinus alta mente, & conſilio praditus, quo Ludouicus regnandi magiſtro vſus eſt, habuit quod diſceret à diſcipulo.*

16. Deſponſa iam tùm nobis, & deſtinata felicitas erat, cum inunctus, & conſecratus Ludouicus eſt. *Hadrianus Iordanus in Paneg. Inaugurationis.*

Nemini

Exertoque diem geminant splendore coronæ.
17 Principe pompa tamen minor est, vt maxima surgat,
Nec collata Tibi, LODOIX, placet; vndique visus
Florida maiestas trahit vna, & pascit amorem.
Sic volucrum stipata choors fragrantibus aruis
Perpetuam mirantur auem, cum purpura pennas
Tinxit, & auratus, circùm variante colore,
Pubet apex, rursùmque potest regina videri.
18. Vix maduit vertex succo cœlestis oliui
Regius, atque auidę cinxerunt tempora gemmæ,
Magno olim Carolo diadema, omenque Nepoti
19. Nunc ingens, & MAGNI NOMINIS argumentum;
Cum læûum intonuit, festoque in murmure Galli
Altius

17. Nemini vnquam conspectiùs, quàm Ludouico regia è cœlo Maiestas affusa est; neminem Deus Regem maioribus auspicijs fecit. *Idem Iordanus.*

18. *Ampulla sacræ oleo, quod olim è cœlo stillatum est, Reges Galliæ consecrantur.*

19. *Ludouicus præterea in augurium triumphorum, diademate Caroli Magni coronatur die 7. Iunij 1654.*

Celebris

Altius augurio imperium, votisque salutant.
Rex tùm lætus ait: vobis mea sceptra geruntur,
O' populi, sanctumque iubar diadematis ardet.
20 Rex sibi si viuat, Regem exuit: omnibus orti
Viuimus, & lucis præstamus munera Reges.
Regnabunt leges mecum, castusque Latinæ
Religionis amor; pietas, seruataque iura
Imperij munimen erunt; sic magna sequentur,
Et potero quod corde sedet: caput inseret astris
Francia, dum Franci aspirent; nil terreat hostis,
Qui non intùs agit; regni ponente procellà,
(Et tandem, Superi, ponet) mihi frangere certum
Externos

20. *Celebris Ludouici vox illa fuit ex Dozennio*, Cum palam, neque semel audiente regio comitatu professus est, se quidem ducere optabilius carere sceptro, quàm non vti; turpiùs nihil sibi videri, quàm Regem vnicam regij nominis vsurpare vmbram, munus alteri, & auctoritatem permittere; neque se vereri quidquam vehementiùs, quàm Principis illius agnomen, quem posteritas inertem appellauit.

Vexaba-

Externos per bella animos , latèque ſubactis
Hoſtibus, æternà Gallos in pace tueri.
21. Verba operoſa ſonant. Feruebat Gallicus Orbis
In ſua conuerſo fatali viſcera Marte.
Inualuere neces, ſocijque à ſanguinis vndà
Oppida tincta rubent, in *Lilia Lilia* ſurgunt
Aurea, & aſcito frondent in funera ferro.
Mille iuuandi artes, fœcundaque pectora miris
Sudauere diù inuentis; labor irritus inſtat,
Nec potis imperij motos componere fluctus.
Deſperata ſalus, in ſe pugnantia regna,
Hoſte vacante, cadũt; quondàm monet hoſpita Martis,
Claraque

21. Vexabatur, *inquit Coſſartius*, Gallia his diſcordijs, contentionibuſque partium, quæ cum pupilli Regis vexaſsẽt tempora, tùm multò ſunt graſſatæ funeſtiùs, cum is ſuæ tutelæ fieri per ætatem cœpit, ipſe iam imperij tutor, eiuſque habenas per ſe ſe moderari. *Et infrà*: Effectum adeò tùm temporis eſt, vt vbique dominata ſit vis illa imperioſa ſiderum, ſi qua tùm erat, quæ ad defectiones, ciuileſque diſcordias induceret.

Inuen-

Claraque defixis vtroque ſub axe trophæis
Roma, timor rerum; ciuis ruit impete victa
Diſcordi, iunctis Aquilis quæ vicerat Orbem.
22. Et tu bellatrix caderes, non diſpare fato,
Gallia, Gallorum tantùm ſuperabilis armis,
Impigra ni Regis firmaret dextra labantem.
Ilicet abreptos inſano turbine ciues
Componit, mollitque animos, ac temperat æſtus
Irarum, & niueâ pacem iubet ire quadrigâ.
Ac velùt Ægęum, fracto ſi carcere, nimbi

Inua-

22. Inuentus eſt in Gallia ſapiens, qui dominaretur aſtris, eorumque vim ſua virtute reprimeret. Fuit, Ludouice, felicitas tuà fatis illis aſtrorum potentior. Sidus ipſe fuiſti laboranti *imperio*, cuius benignitate, cęterorum inclementia ſiderum, manansque ab ijs in terras contagio ſuperata eſt: cuius luce, diſcuſſa tandem eſt illa caligo temporum, quam ſtellæ maligniores induxerant: propitium, felixque ſidus his iactatæ fluctibus Galliæ, quæ naufragium erat iam, iamque factura, niſi tempeſtatem aſpectù clementiore pacaſſes. *Coſſartius.*

Id obti-

Inuaſere ſalum, miſcentque à ſedibus imis,
Fluctibus inſultant fluctus, vndâque refractâ,
Unda fremit, ſpumatque minax; ſimul alba refulſit
Tyndaridûm lampas, repetunt ſua clauſtra procellę,
Et poſito ſtagnant placidùm maria alta tumultu.
Quid memorem dulci famæ nutrita veneno,
Et damnis ſpecioſa ſuis commenta duelli,
Funeris haud trepido longùm dominantia Gallo?
23. Hæc pariter ſucciſa animis; nec vindice tantùm
Intereunt pœnâ; ſenſus domuere cruentos
Regis

23. *Id obtinuit Rex ſapientiſſimus cùm grauiſſimis interdictis, tùm maximè humaniſſimis verbis allecta nobilitate in Sacramentum non condicendi ad duellum.* Ut Regiam ſuam, *inquit Coſſartius*, paci dedicaret, domeſticos, aulicoſque omnes, hoc eſt totius Gallicæ Nobilitatis florem, iure iurando adegit, nunquàm ſe, quiſquis læderet, quiſquis laceſceret, ad certamen ſingulare condicturos: ſeorsìm aduocabat ſingulos Rex optimus; amabat blandè impetrare, quod ſeueriſſimè per legem imperauerat; chirographum etiam exigebat, cuius fide obſtricti

Regis amor facilis, cęleſteſque indole mores.
Protinùs accerſit, queis bello cognita virtus,
Et nutrix Aula, & priſcum de ſanguine nomen
Erectam inſpirant mentem; nec publica iactis
Inculcat decreta minis; ſed poſcere comis
Gallorum in Gallos animum, qui turbidus hoſti,
Et mitis ſciat eſſe ſuis: bonus abnuat enſem
Priuatum Francus ſub pectore condere Franco.
Par Gallo quærendus honor; nec gloria compar,
Unius quæ cæde viret: ſe prodat in agmen.

Seruen-

obſtricti tenerentur, eoſque tùm demùm agnoſcebat, ſuos, cùm hac cautione obligatos cerneret. Cuius formulam iuſiurandi quàm multi, etiam è regio exercitu, ſubſcripſerunt, &c.

Ad tantæ rei memoriam Numiſma cuſum circumductâ epigraphe: Singularium certaminum furore coercito. *Infrà verò:*

IUSTITIA
OPTIMI PRINCIPIS
1658.

 24. *Quā*

Seruentur regno fortes: iniuria cedat
Communi iugulata bono, Regique petenti.
Imperium quàm grande precum fuit! omnia vincit
Maieſtas, cum blanda rogat; iam promptiùs ardent
Ferre ſacramentum, calamoque notare fideli
Condictas vltrò verba execrantia pugnas;
Et formidato potuit quos cogere ſceptro,
Plus ſibi, quàm Regis cernit parere timori.
Confundit ſolà formidine regna tyrannus:
Cordato ſub Rege metus miſcetur amore.
Gnarus equûm domitor non torto verbere tergus
Uſquè petit, crebriſque fodit calcaribus armos;
Sed dum plauſa manu generoſa & pectora mulcet,
Sæpè docet rigidis meliùs ſeruire lupatis.
Seruaſti, LODOICE, tuos, Regemque probaſti,
Dum ſeruas, regale magis nil ſplendet in oſtro,
Nilque Deo propius: perget ſacrata triumphis
Nobilitas vixiſſe tuis, trepidoſque per hoſtes
Fida feret ſtrages, dum iuſtior incitat ira,
Saniùs & fuſo referet Tibi ſanguine palmas.
Interea putridis nutrita paludibus Orci
Bellua cerbereo terret fœdiſſima rictu

Hæreſis,

24. Hæresis, & miseras bacchatur torua per urbes
Vastatrix, tumidumque leuans temeraria cornu,
Irrita Romuleis intentat collibus arma.
Lernæis iterùm rediuiuam fluctibus Hydram
Erupisse putes, lacero tot didita regno
Funera, tot fruticant sectis capita effera monstris.
Alcidæ

24. *Quà vi regia, quà suis ad Pontificem Maximum literis, ac auctoritate latè grassantem hæresim compescit, & auertit.* Quod respiramus ab ijs turbis, *inquit Cossartius*, quibus exercita Religio annis ampliùs decem, magno bonorum omnium luctu, metu maiore fuerat, tuum, Ludouice, munus est, qui tuis ad Pontificem Maximum literis, precibus, auctoritate, é Vaticano tanquàm è cœlo deuocasti. *Et Petrus Dozennius*, Nouit, *inquit*, hæresis, & illa vetus, & ista recentior à Nouatoribus in Galliam inuecta, quam nuperis tùm regiorum edictorum fulminibus attriuit, cùm truncatas venenati corporis partes, more serpentum resarcire, ac resuere omni arte moliretur.

Extat

25. Alcidæ ſed prompta manus; ſi candida fœtus
Gallia monſtroſos gremio indignante recepit,
Et tulit Alciden; nec magnum fabula nomen.
Emicat en ſummis LODOIX ſublimior auſis,
Cui potior claua eſt pietas, atque æthere dextro
Gallica cum Latijs iaculatus *fulmina telis*,
Monſtrum informe, ingens, cæcoq; immane veneno
Aduerſum ferit, & violenta in vulnera lapſum
Continuò premit inſiſtens, luxatque premendo.
Rursùs at eliſos ſe bellua pugnat in artus
Tollere, (nam ſuadet rabies) neruiſque reciſis
Concidit, & linguis fruſtrà micat ore triſulcis.
Qualis ab impreſſo ſucciſus vomere ſerpens
Trunca plicat terga, & ſpiris languentibus errat
Nequicquàm obluctans, moribundaque ſibila mittit.
Regibus, & Superis Regis pia dextera vicit:
Et Regum, & Superùm gemmis, ſtelliſque coruſcas

Tetra

25. *Extat de hoc Nobilis Impreſia in Claudio Meneſtrier. Corpus Hydra eſt, quam conterit claua; addito lemate.* UNI POTUIT SUCCUMBERE.

Vrbes

Tetra lues ſanie temerat ſtillante coronas,
Jnnatumque iubar ſceptro, & cœleſtia cœlo
Jura rapit: Fructus palma quàm multus in vnâ eſt!
Hæc Tu, quæ multos diſcreta heroibus æquent,
Et tumidos repleant numeroſo nomine faſtos,
Prima rudimenta, & laudum fundamina ponis,
Rarus apex Regum, paria & faſtigia ſurgunt.
Porrexti imperio fines, & Lilia latè
Culta vbi gemmabant, rurſùm diffundere campis
Felix cura fuit, varioque intenta ſub axe
Martia debellat virtus, ac fulminat arces.
26. Crinibus Auguſtis bellorum Flandria nutrix
Longa fouet lauros, dextræ Burgundia palmas
Regnata

26. *Vrbes à Ludouico in poteſtatem redactæ in Belgio; Dunquerca ex Anglorum manu recuperata an. 1662. & an. 1667. Bergæ, Furnæ, Aeria, Tornacum, Duacum, Cortracum, Aldenarda, Aloſtum, Inſulæ, ſeu Lila &c. Voluentibus annis in ditionem Regis veniunt Condate, Bochanium, Valencianæ, Cameracum, Audomaropolis, Gandauum, Ipræ, Luxemburgum; dein Montes, & Namurcum, quibus expugnandis vim addidit*

Regnata Hiſpano, & Franci tentamine Martis,
Pluſque triumphali Regis nutantia famâ
Submiſere caput; ſuprà biſdena pateſcunt
Farta opibus, populiſque, ambage impervia valli,
Internàque acie, fœtiſque timenda metallis
Oppida, & inuicto ducunt ſub Principe ſoles,
Illuſtres ſoles, & floribus otia nectunt.
27. Regnorum hinc audis operoſo nomine PARTOR,
Dum pariente manu ſceptrorum attollis aceruum,
Plenaque vox meriti, præloque animata tumente,
Nec moritura viret, narratque diſerta triumphos.
Sed

addidit, & celeritatem Regis præſentia. In Burgundia verò an. 1668. Veſuntio, Salinæ, Dola, Graiacum, &c.

27. *Ludouicus glorioſa appellatione dictus etiam in Typis,* Regnorum Partor, *Gallicè le Conquerant, Italicè il Conquiſtatore. Caput tanti nominis, & primitiæ armorum Ludouici fuerunt an. 1655. Landrecium, Condatum, Ghislenopolis, ſiuè Fanum S. Ghisleni. & an. 1657. Fanum S. Venantij, Mardicum, Monſmedius, cuius obſidionem Rex præſens animat.*

Bellum

28. Sed metas ne pone animis ; pete ſidere fauſto
Quò maiora vocant, narranda nepotibus olìm,
Et ſeros, nutante fide, memoranda per annos.
En Tibi delectis florent tentoria turmis,
29. Quas longo armorum docuiſti vincere ludo,
Et ſolidis ficto proludere Marte triumphis.
Sat data ludicro belli mendacia ferro,
Perque Euros ſtreperis, ſecluſo fulmine, bombis,
Jn ſpeciem ſtructas ſimulator perculit arces
Jmpetus, & vacuà ſtragis ſub imagine luſit.
Seria contemptor iam ſpicula ſentiat hoſtis.
Grandibus incœptis mora nulla: exercitus omnis
Bellonam in Batauos cantu flammante tubarum,
Ad ſublata fremit, Zephyrique vndantia plauſu
Lilia fulua auro, flagratque cupidine ferri.
30. Alliciunt oculos acies, aduerſaque terrent

Pectora

28. *Bellum in Hollandos diù meditatum glorioſiſſimè mouet.*
29. *Miles ſub Ludouico antè Hollandicam expeditionem, ludicris certaminibus, & oppugnationibus diù exercitatus.*
30. *Armorum, veſtituſque nitorem, & cultum, ſed qui viros*

fortes

Pectora dispositæ, telisque, sagisque renident;
Nec nitor eneruat robur; testabitur hostis.
Gratia terrori tanto sub Principe seruit.
Scipiadæ multi Condæus, & inclyta Francis
Gloria Turenus, nostro qui suscitat æuo
Non lentos Fabios, & Lucemburgius acer,
Parque Sciombergus Mario, Curioque Chriqueus,
Quique nouat veteres Camileus in ense Camillos,
Montaltusque valens, promptisque Umierius armis,
31. Et Magnum reddens fratrem virtute Philippus
Sublimes in equis lucent, vultuque minantur
Funera, & armatos spirant obtutibus ignes.
Omnia

fortes deceat, suis à militibus exigit Ludouicus.

31. *Philippus Aureliani Dux Ludouici vnicus frater in expeditione præsertim Hollandica dignum Magno Fratre se præbuit. Eximium quoque argumentum militaris peritiæ, & strenuitatis in Philippo petere est à conflictu ad Castellum Menapiorum, vulgò Mont Cassel, siuè Kessel, in quo sanè vt heroem se gessit: Victoriæ à Philippo partæ fructus Audomaropolis in ditionem redacta.*

Quater-

Omnia ſed LODOIX, qui claro vertice ſuprà eſt,
Et diffuſa ſuo bellantûm fulgura cæcat
Fulgure, nec fictum gerit in certamine Martem.
Jndè loquens palmas, aſtris poſcentibus, inquit,
Pugnandum, Fortes, & pœnà vindice ſceptri;
Contemptrix Diuûm, Regumque Hollandia veſtræ
Hic campus virtutis erit; *ſeges ampla triumphis*,
Et matura vocat: diſcat quid Gallica poſſint
Fœdera cum Superis; Regique occumbat, & axi.
Dixerat. Ut validi Maſſylà è rupe Leones,
Quos longa exercet generoſo in pectore bilis,
Securum inuadunt, *gelidiſque timore* magiſtris,
Corripuere pecus, morſuque, atq; vnguibus inſtant,
Præcipitant animoſæ acies; præſente timendum
Nil Rege eſt, crimenque timor; mucronibus ardet
Iam cædis fœcunda dies, ac ferreus oras
Turbo quatit Batauas, & inundant milite campi.
Iam diſploſa tonant flammatis faucibus æra,
Fulmineaſque rotant ſphœras, & certa per Auſtros
Fata vomunt, nudantque euerſis mœnibus vrbes.
Quà data porta ruunt Galli, & liuentia nitro
Fulgura, & ignifluas plumboſę grandinis iras,

Haſtarumque minas, & ahenæ fulmina molis,
Quæque volant, bolides, ructataque funera furnis
Deſpexere; ingens morti præſentia Regis
Dat pretium: totis propulſi viribus hoſtis
Acriùs ingeminant Martem, fitque obijce virtus
Promptior; irrumpunt denſi, & luctantia cedunt
Agmina; fumantes confuſo ſanguine foſſæ
Tranantur, fœdæque itur per ſtragis aceruos,
Liliaque in mutilis rutilant victricia pinnis.
32. Centenas arces parili cinxere coronà,
Centenæque cadunt arces; ceù flantibus Euris
Denſa

32. *Quaternis eodem tempore obſidionibus res acta; & vrbes IIII. eadem die ſimul expugnatæ; Orſouia, Rhimberga, Burichium, Veſalia. Quod peculiari Numiſmate expreſſum. Quatuor fluminibus ſuperatis, & cum primis Rheno, quem Equitatus nando traijcit, vno eodem impetu, expugnantur, nec dùm bimeſtri completo, quadraginta vrbes operibus cinctæ, vt ſcribit P. Meneſtrier; ſed à Theodoro Theſſerio in Append. ad Hiſtor. Franciæ, numerantur ſuprà quadragintaintrà dies quadraginta. Primariæ ſunt Orſoium, Vaſaliæ Rhenoberga,*

Densa per autumnum folia; aut sub verbere duro
Grandinis attritæ segetes; nec longior hosti
33. Traiectum quondàm mora, nec tardantia Schenki
34. Victorem valla Hispanum, modò prælia lassant,
Et casura petunt annos: concussa duobus
Solibus hęc ruerunt; subitas mirata ruinas,
Illud in occasu suspensis vidit habenis
Tredecies Matuta oriens. ô quantus Achilles
Franciadis partus! terdenà luce subacta,
35. Non annis noua Troia decem: victoria velox,
Fortunà cessante, venit; felicior auspex
Sollicitas, Rex ipse tui; pede fortia gesta
Solis

Rhenoberga, Reesium, Emmericum, Arenacum, Doesburgum Buricum, Zutphania, Voerda, Nouimagus, Grauia, Arx Schenkia, Vltraiectum, Bommelia, & Betauiæ Insulæ &c.

33. *Traiectum, quod olim quadrimestrem obsidionem tulerat, tredecim diebus præsentis vi Regis expugnatur anno 1673.*

34. *Arx Schenkij biduo capitur, quæ aliàs hosti nouē mēses obstiterat*

35. *Præter hæc perpetua, citataque vincendi decora, præsignes sub Ludouico partæ victoriæ sunt, Norlingæ, Castelli Menapriorum,*

Solis eunt, palmęque breues naſcuntur in horas.
36. Iam tua Demetri, LODOICO agnomina cede,
Seù certes numero palmarum, aut arcibus arces,
Arma armis conferre velis; quæ capta, loquuntur
Expugnatorem, ducentis oppida lauris;
Oppida ſudata excultæ conatibus artis,
Fulmineis metuenda tubis, & milite lecto.

Qui

napiorum, Seneſi, Floriaci, Leuſæ, Beneſen, Steinkerke &c. Ad Entezeim, Sintezeim, & Altenheim; de quibus peculiare Numiſma cum hac epigraphe.

FRANCOR. EXERCITVS TER VICTOR.

Infrà verò REGI JNVICTISSIMO. *M.DC.LXXIIII.*

Vide ad calcem operis id genus plura, vbi de nupero bello.

36. Demetrius Antigoni Macedonum Regis Filius, vrbium Expugnator dictus, cedat oportet pręſigne nomen Ludouico, qui ducentas vrbes, nouis operibus cinctas, & valido firmatas præſidio expugnauit. Vt patet ex Numiſmate, cuius Inſcriptio:

VICTORI PERPETVO

OB CAPTAS VRBES CC.

De quo infrà. Regi

37. Qui Tibi tùm plausus, domito cùm victor ab hoste,
Laurigeras Luparæ veherere ad tecta per alas?
Quæ populi vndantis voces, & murmur aheno
Immistum tonitru, motæque à sedibus vrbis
Gaudia? præsenti scelus est non plaudere Regi.
Conuenere Togæ, & multi capita alta Senatus
Obsequijs testata animos; spectantque, stupentque
Prodigium Regum, & reduci gratantur honorem
Jmmensum, & nullà visos ætate triumphos.
Certatur calamo, scalproque, omnisque laborat
Cura artis, doctosque operi mens impigra neruos
Intendit, nisu tamen altius argumentum est,
Lassat & ingenij maior tua fama volatus.
38. Ostentant pretium ductis in vultibus æra
Inuidiosa

37. *Regi ab expeditione Hollandica Lutetiam redeunti Optimates cum populo, cum Supremis Curijs Præsides obuiàm gratulabundi procedunt. Celebratur triumphus festis acclamationibus, omnium linguis, atque literis; statuis, colossis, trophæis, &c. passim erectis.*

38. *Gamurrinus, qui in limine Historiæ Genealogicæ Famil. Nob.*

Inuidiosa auro; sculptusque in imagine terres,
Et simul allectas; vicinaque nubila cernunt
Aeriæ statuæ; breuis at mensura Colossis,
Magnum inter Magnos qui Regem ad sidera tollunt.
Arcubus obsequio curuis emblemata florent,
Pensile

Nob. Tusc. & Vmb. bella Ludouici stylo Italico exactè prosequutus est, de celebritate huius triumphi ità scribit, Regem appellans: V. M. fatte tutte le sopradette imprese, e dopo quella di Creuecuore partì dalli Paesi Bassi per S. Germano al Laye, doue vi arriuò alli *6.* d'Agosto complimentato dal Gouernatore, dal Proposto de' Mercanti, e dalli Capi della Città di Parigi, che tutti vennero ad inchinare V. M. come anche tutte le Corti Sourane, hauendo ciascheduna alla lor testa il lor Presidente. Quì le voci, le penne, le statue, i colossi drizzati al glorioso valore di V. M. furono infiniti. Et in vero la Posterità auerà pena di credere, che dopo l'apertura della Campagna, che fù alla metà di Maggio fino alli 27. di Giugno, abbia preso più di 40. Piazze, Forti, e Città &c.

Ludouicus

Pensile vectigal mentis; famàque minantur
In Cœlum grauidæ moles, turgentq; trophęis,
Et titulo : Hæc raptim Batauis ex hostibus arma.
J nunc, & trepidum victrices, Roma, per Orbem
Præpetibus pennis Aquilas, duce Cæsare, iacta.
39. Vel Cæsar, quod discat, habet; licèt ocyor alà
Fulminis, audacem collatus tardior hostem
Occupat, & pigro sudat certamina ferro.
Ille reluctantes domuit per prælia Gallos,
Cum brumæ riguere nouem; Tu Marte feroces
Elidis Batauos, & triplice proteris ictu,
Luna suum, attonitis dum cursibus, implicat orbem.
O' maturantis laudem miracula dextræ!
Quod longis fuerat meditari audacia lustris,
Seraque suspiciant quod sæcula, mense peractum est.
Mirandum

39. *Ludouicus in bellicis expeditionibus Iulij Cæsaris celeritatem præuertit; ille enim antiquos Gallos nouem annis edomuit; hic Batauos sanè potentiores incredibili celeritate fregit, tribus eorum Prouincijs intrà mensem debellatis; Quare de se verissimè dixerit:* veni, vidi, vici.

Mirandum, si bella minùs velocibus irent
Passibus, & lentà floreret laurea fronde.
40. Otia bellator nescis; nunc lance fideli
Consilia armorum expendis, consultaque mentis
Excipiunt properanda manus: opera ardua coràm
Cœpta regis, curasque animum partiris in omnes.
Certatìm insudant acies, placet improbus vsquè
Te spectante labor; plus est cessare laboris,
Et pœnæ, non posse pati; namque aspera clarent,
Aspera dum sequeris, titulisque incommoda turgent.
Sæpè Tibi longo torrentur tempora sole,
Perque triumphales it sudor martius artus,
Qui famam irroret; pigri modo frigora cœli
Spreta subis, animique faces aquilonibus auges.
Nunc agis armatus lunæ sub luce malignà,
In fesso non fessus equo; placidique soporis
Securus, quem spontè cubans in cespite fallis,
Militiam

40. *Summi Imperatoris partes peragit Ludouicus consilio, procuratione operum, vigilantia, labore, tolerantia incommodorum, pugnæ magisterio, contemptione periculorum &c.*
Rex

41. Militiam tolerare doces; nunc castra pererras
Vestigans quàm firma loco, quo milite tuta
Dispostito, subitoque hostis quàm clausa furori;
Et tua custodum somnos vigilantia damnat.
42. Idem oculis propiùs lustrare fidelibus arces
Assuesti obsessas; nec plurima terret Erynnis
Ænea murorum, tristi quæ seminat ore
Sulphureas strages, & corpora sternit equorum,
Sessoresque implet formidine mortis ephebos.
Se tecta est Regis, nec eget munimine, virtus.
Nil Te victorem tardat; non turgida latè
Flumina

41. *Rex in obsidione Traiecti ad Mosam, insigni tolerantia, congesto cubat in cespite; quod & cecinit Daugieres, Poeta ingentis spiritus.*

42. *Id maximè Rex præstitit in oppugnatione Vesuntionis, & Dolæ. In obsidione verò Caroloregij, dum lustrat opera exteriora, tres comitantium epheborum equi exploso bellico tormento interficiuntur. Ipse tamen cum Fratre Duce Aureliani, tonantibus à muro bombardis, & minoribus sclopis obstrepentibus, explorare interritus pergit.*

 Per

43. Flumina, queis ripas pons geſtatorius vnit
Protinùs, & ſerie, (viſu mirabile) longâ,
E cupro puppes facilem dant gurgite callem.
Quin etiam aduerſæ ſpretâ formidine ripæ,
Hoſtis ab oppoſitu, & ſpumanti gurgitis irâ,
Tranat eques Rhenum *ſecurus funeris*; ignem
Belligerum *præſens* dum Tu ſuccendis in vndâ.
Confer deſpectum tranante Macedone flumen
Granicum Rheno, quantùm hic ſe gurgite tollit,
Tantùm Pellæo Regi, LODOICE, ſuperſtas.
Informes hyemes, tempeſtateſque ſonoræ
Conatus animant; anni Tibi militat omnis
Tempeſtas, pronæque colunt tua ſigna pruinæ.
Procurris, cum pugna tumet; ferrumque laceſſis
Exertum, vaſtoque vrges ad magna maniplos
Impete, & aſpectu Gradiuum mentibus indis
Inſolitum,

43. *Per geſtatorios pontes ex cupreis nauibus quàm ocyſſimè iungens flumina, expeditum ſuis copijs tranſitum præbet. Etiam inter hyemis aſperitatem motis armis, præſertim in Belgio, & pugnat, & vincit.*

Hollan-

Insolitum, nescisque datis pallere periclis,
Ad tua dùm trepidæ albescunt discrimina turmæ.
Regis ab exemplo calet impiger omnis in hostem
Miles, & abiectà vitæ de pectore curà,
Martia conspicuam quærit per vulnera mortem.
Talia dùm spargis belli miracula terris,
44. Armato pariter victor mare turbine pulsas
Conclusum, & patulo oceani spumantia campo
Murmura : ductores tutæ, Rege auspice, classis,
Tergemini Thetidos Martes Viuonus, & olli
Quesneus

44. *Hollandos in Mari siculo, & in Oceano vincit Regiarum classium Præfectis Viuono, Quesneo, Estreo. Extant tria victoriarum Numismata.*

In primo leges: DELETA HOSTIUM CLASSE:
Infrà verò VICTORIA PANORMITANA M.DC.LXXVI.
In secundo DELETA HOSTIUM CLASSE.
DUCE JNTEREMPTO.
Infrà AD AUGUSTAM SICILIÆ. M.DC.LXXVI.
In tertio JNCENSA BATAVORUM CLASSE.
Infrà TABAGO. M. DC. LXXVII.

Ruite-

Quesneus, Estreusque pares, sed dispare ponto,
(Occidui hunc fluctus, illos timuere Sicani)
Quisque, vbi conspectus velis audacibus hostis
Aduentare minax, pugnæ fera semina primi,
Atque alacres sparsere nitro bacchante per ęquor;
Namque subit mentem LODOIX, & nominis omen,
Nec dubitant Auctore bono, fiduntque periclis;
Et iam porrectas Batauûm pallentibus vndis,
Horribiles armis, & vasto corpore puppes
Puppibus incurrunt, atque eminùs ære cauato,
Cominùs & ferro, rostrisque potentibus vrgent,
Disperguntque mari, temeratur sanguine Tethis
Hollando, tabulęque natant, classisque cruentæ
Relliquię, & trepido passim vaga funera fluctu.
Jlle timor pelagi, Batauûmque marinus Achilles,
45. Jlle tuæ ; LODOICE, litat Ruiterius iræ,
Et Si-

45. *Ruiterius Hollandicæ classis Præfectus tormento bellico inter pugnandum occisus, fœda suorum strage, maris peritiam in Gallis, & vbique inuictam Ludouici potentiam testatur.*

Lude-

Et *Siculum* moriens Franco mare cedit ouanti.
Tùm debellati senserunt claustra Pelori,
Et Pharos, & Scyllæ pauidùm latrantia monstra,
Extremæque vltrà Calpen habitator arenæ,
Per vada pugnacis fractà ceruice Batâui,
Quantùm cæruleà possis bellator in vndà.
Non tamen it liquidos *solùm victoria tractus*
Æquoris, in terras se sustulit alite motu,
46. Clara vbi nascentis gemmant cunabula *Solis,*
Et tumulus, quem lambit fluctibus Amphitrite
Ultima; possessas Hollandus deserit oras,
Oppidaque excipiunt Francos, dominosque salutant
Ser-

46. Ludouici nomen, & imperium in orientem profertur, occupata Insula Madagascaria, nunc Insula Delphina, quæ est ex præcipuis Insulis totius orbis in Oceano Æthiopico, distans leucis Francicis 100. *ab ora Africæ in ortum. In Americam verò propagatum est captis ibi Insulis, & arcibus, Caiana, Tabaci &c. & recuperata Arce Ludouica anno* 1676. *Sub Duce strenuissimo Comite Estrao, indè eiectis Hollandis, qui illam anno præcedenti occupauerant.*

Expli-

Seruitio gauisa suo; discuntque vereri,
Nec didicere loqui LODOICVM, & voce decorâ
Barbaricos mulcere sonos; crebra insula Regi
47. Paret, & ignoto regnat Flos Aureus Orbe.
Quassa iacet tandem, seruitque Hollandia Gallo,
Desertasque vrbes luget, squalentiaque arua;
Et seruiret adhuc, ni grandibus inuida gestis
48. Rupissent elementa fidem, tutata rebelles,
Et subitò infusà stagnaret Doride tellus.
Gloria sed facti viget, æternùmque vigebit,
49. Et sæclo titulum, pretiumque annalibus addet,

Remq;

47. *Explicat id bellè Impresia, quæ in sigillo Commercij Indiæ Orientalis, Lilium præferens cum lemate:*

FLOREBO QVOCUMQVE FERAR.

48. *Hollandi fractis repagulis, vulgò Digues, Oceanum in subiectos campos exonerant, atque iter victori Ludouico intercludunt.*

49. *Scilicet in Arcu Triumphi ad Portam S. Dionisij Parisijs erecto: Vt vt illud reclamet Ausonij.*

MORS ETIAM SAXIS, NOMINIBVSQ; VENIT.

Potio-

Remq; locuturis parcet mors liuida saxis.
Hinc mæstum ex oculis imbrem, si vita maneret,
Inuidiæ testem Pellęus solueret heros
Confessus maiora suis, & nominis vltrò
Poneret ampullas, facilique à sorte tumorem.
Non ille indomito fregit conflata metallo
Pectora, & assidui studijs asperrima belli;
Nec circùm omnigenis nunc propugnacula vallis
Artifici sudata manu; sed Tigris, & Indus
Molles pugnantem commendauere subacti,
Addidit & vires aliena ignauia famæ.
50. Te contrà, LODOICE, ruunt & fortis Iberus,
Hollandusque potens pelago, durataque brumis
Gens Arctoa suis; nec lasso robore nutas;
Nec nutare capax; animos discrimina firmant,
51. Conatumque operosa iuuant; cita gloria dextræ,
Et Sceptro

50. *Potiorem Europæ partem, inito in se vnum Triplici Fœdere Ludouicus interritus sustinet; Victor difflat; Regnū porrigit.*
51. *Incrementa tùm gloriæ, tùm regni suspicias in captis Valentienis, Cameraco, Ypris, Herculis castro, siuè Herculeo,*

culeo,

Et Sceptro accrescunt gemmæ : Lotharingia testis,
Jmperio submissa , dies vbi voluitur vna ;
Liligerumque ferens facili Burgundia collo
Prona iugum , occiduæ post septem exordia lucis ;
Præcipiti Batauûm difflata potentia nimbo,
Dum semel argentum lunæ sinuatur in orbem,
Arcibus

culeo, Graio, Vesontione, Pontarlo , Bochanio , Friburgo Brisgonia, VValkircho, Fano S. Ghisleni, Aeria , Linckia, Gandauo cum arce diebus quinque expugnato ; In asserta Lotharingia, submissa Burgundia , protrita Hollandia, subacta Catalonia , Rheni populis ad vectigal coactis &c. Vno verbo captis ducentis vrbibus, vt supra indicaui.

Citatum numerosa victoria cursum bellè expressit argutus Poeta:

Vna dies Lotharos, Burgundos hebdomas vna,
Vna domat Batauos luna, quid annus erit?

Quod ità reddidit Poeta Gallicus:

La Lorrene est l'effort d'vne seule journée ;
La Bourgogne en huit jours est soumise à ses lois.
La Hollande a son bras n'à resistè qu' vn mois.
Quels seront ses exploits dans le cours d'vne annèe?

Quàm

Arcibus & domitis ſupplex Catalonia centum,
Belgarumque datis famulæ ceruicibus vrbes,
Et vectigali riparum margine Rhenus.
Haud ſecus immenſis animis, ac mole Gigantes
52. Certauere Joui, & ſocio conamine montes
Montibus agglomerant; ſuperà Dictæus ab arce
Rex contrà ſolus collectas diſſipat iras,
Tutior & magno laxat confinia regno.
53. Ipſe quoque Odryſius confusà fronte tyrannus

Vim

52. *Quàm id quadret in Ludouicum diſcas ex Petro Gazzotto, qui in Hiſtor. bell. Europæ ità Italicè ſcribit.*

In tanto il concetto fatto da Principi Collegati del Nort di ſe medeſimi per mantener le conquiſte, non fù d'alcuna efficacia, perche diſperati di poter far corriſpondere gl'effetti della grandezza dell'animo, ſtimarono più ſano partito di cedere alla potenza, e di applicare l'animo alla pace con donare alla Francia tutti i loro vantaggi, non rimanendo loro di tante conquiſte, che deboli ricompenſe.

53. *Magnus Turca Ludouicum XIV. in primis timet, idque*

 teſtantur

Vim ſentit, LODOICE, tuam, ignaruſque timoris,
Et ſolitus terrere timet, nec vana tremiſcit,
54. Multus vbi Graiæ terror Queſneius oræ
Ægęo inſedit, tormentorumque tonitru
Cycladas in medijs diſperſas concutit vndis,
Liligerę deſpecta vltus decora alta Coronæ.
Perge ſuper, LODOIX, atq; auctis barbara roſtris
(Namque Tibi Æoliam claſſis non vna fatigat)
Deſpument maria, & fauces tententur Abydi,
Byzanti donec Crux inſita collibus altis
Fulguret

teſtantur tituli, quibus in ſuis litteris illum appellat, vt videre eſt apud Verdier in ſuo Compendio Hiſtor. Franc. Au plus (*ſcribit ſuperbus*) Majestueux Monarque de la croyance de Ieſus, le Choix d'entre les Princes Glorieux de la Religion du Meſſie, l'Arbitre de toutes les Nations Chretiennes; Seigneur de Majeſtè, & d'honneur, Patron de louange, e de gloire, l'Empereur de France Louis que la fin de ſes iours ſoit ſçeellée de bonheur.

54. *Per Queſneum Regiæ claſſis Præfectum iniurioſis Turcis vicem rependit, & terrorem incutit.*

Galli

Fulguret assurgens inter tua Lilia victrix.
55. Nempe ferunt quondàm (sunt fixa oracula Diuûm)
Protrito Lunæ per Gallica robora cornu,
Cessuras Gallo, quà rugit Bosphorus, arces.
Et nunc sera licèt (nec mens leuis augurat) ætas
Currit, adoratum quæ proxima compleat omen.
56. Tu certis, LODOIX, signis, tu Maximus ille es,
Unus qui Christo bellator restitues rem.
Purpureo Vati, per quem, Carmele coruscas,
Hæc

55. *Galli Turcarum euersores futuri; vt habetur apud Lezanam tom. 4. Ann. in vita S. Angeli Carmelitæ Martyris; & apud Philippum à Sanctissima Trinitate in vita eiusdem S. Angeli p. 117. Certè Baronius tom. 9. Ann. Eccl. ad Henricum IV. Gallorum Regem scribens, inquit :* Isti vero (*scilicet Turcæ*) præscij per Francos instare sui occasum imperij. *Nunc autem aduentasse sub Ludouico tempus illud optatissimum, conijcere possumus ex argumentis, quæ leguntur locis citatis, & mox ipse subtexam.*
56. *Notæ precipuæ Regis Francorum , qui Turcas edomabit, aptè quadrant in Ludouicum; hæ autem sunt, insignis in*
Deum

Hæc dabat arcano Diuinum murmure Verbum,
Nec mortale ſonans, clara argumenta futuri.
Rex, qui Treijcio diffringet cornua monſtro,
Spectatà in Diuûm Numen pietate micabit,
Et terris, pelagoque potens confinia Franco
Porriget, & ſpolijs latè diteſcet opimis.
En quæ Te famæ fatalia carmina pingunt.
Ter pius arma Deo, Diuiſque fauentia torques,
57. Hæreſeoſque gradu preſſans victore colubrum,
Romano

* *Deum pietas, & potentia terrâ, marique latè diffuſa.* Surget Rex antiquâ de gente, & ſtirpe Francigena, inſigni in Deum pietate, & terrâ marique creſcet potentia eius &c. Transfretabit, & perditas reſtituet Eccleſias, & liberabit Hieruſalem. *Ità Chriſtus alloquens S. Angelum Martyrem loc. cit.*

57. *Arma Regis & profligandæ hæreſi, & Catholicæ fidei amplificandæ maximè intenta;* *Re ipſa vicies centena millia hæreticorum numerantur ad Catholicam Romanam fidem per Ludouicum reuocata, vt pleniùs infrà noto, vbi de vltima à Regno expulſione Caluiniſtarum.*

In ipſa

Romano cogis Patri ſubmittere criſtas.
58. Hinc Fidei ſacra iura pati vt formidine diſcat,
Si pietate negat, Caluini Urbs marcida viru,
Ritè, palàmque iubes Romano more litari
Velatum niueà Cereris ſub nube Tonantem,
Ne valido deſit Cœli ſolamen, & ægro
Mortali ad vitam diuina annona perennem.
Jmpietas ſacris ità ſeruit & ipſa triumphis.
59. Quidquod Apoſtolicas verſans ſub pectore curas,
Cœleſtis Verbi regna ad ſemota ſatores

Ire

58. *In ipſa etiam vrbe Geneuæ, putrido ſcilicet hæreſis Caluinianæ ſinu, Auctoritate formidata Rex euicit, vt Romano ritu Res diuina fieret, Quò Catholicis vitę præſentis ſolatium, & Viaticum futurę ſuppeteret.*

59. *Præter Miſſiones Caſtrenſes, ad militum, præſertim in acie cadentium, ſalutem inſtitutas &c. Miſſis magno impendio Apoſtolicis Viris, Fidem Catholicam, Romanam propagat in Indijs, in Regno Siani, in Sinarum Imperio, alijſque remotis terris. Seminarium etiam Miſſionum ad exteros fundat Pariſijs.*

Ludouicus

Ire vrges, Fidei qui ſpargant ſemina terris
Incultis, & læta ſeges flaueſcat Olympo.
Clariùs exemplo illuſtras, quæ prodigus auro
60. Templa iubes radiare tuo, audaceſque minaci
61. Caſtigas oculo linguas, pœnâque coerces
62. Deſpecti vindex cœli, ſi forte ſolutis
Rem violet ſacram maleſana licentia verbis.
Indiſcreta Deum, Regemque iniuria pungit.
63. Non Te delicijs, largo quas vbere lactat,
Ætheris immemorem felix Verſalia præſtat;
Dulciùs

60. *Ludouicus in excitandis, dotandiſque munificè Templis pijſſimus, ſit pariter in eos, licet nobiles, ſeueriſſimus*
61. *cenſor, quos præſertim inter rem diuinam garrulos, & irreuerentes animaduertit.*

62. *Id expreſſum Impreſia, cuius corpus fulmen: lema:*

DIVORUM JVRA TVETUR.

Apud Claudium Meneſtrier.

63. *Etiam inter regalia oblectamenta Verſaliæ rerum cæleſtium memor, ad horam in templo preſtò eſt, & in omnium oculis Diuinum Chriſti Corpus adorationi propoſitum*
diù

Dulciùs æternà mens regia paſcitur aurá,
Et quærit per amœna Deum; quà Fana renident
Proxima, ſub niueo tectum colis orbe Tonantem
Aſſiduus, fundiſque preces, hymnoſque ſonantes
Aure, animoque bibis, tacituſque examine recto,
Undantes inter populi, procerumque cateruas,
Rimaris fibras animi, penitoſque receſſus,
Iudex ipſe tui, & Regem pietate fateris.
64. Hinc miles pronus veneratur, & aulicus aras
Diſſimilis probitate ſui; non exeat aulá,
Qui vult eſſe pius, LODOICI & caſtra ſequatur.
Miramur Solij vaſta incrementa potentis

Con-

diù veneratur; vnà cum cæteris conſcientiam intentus excutit, & qui canitur de Sacra Euchariſtia, hymnum pronis auribus, & animo accipit.

64. *A' Regis pietate ſpectatur nunc ſingularis illa in aulicis, & in ipſis militibus reuerentia ſacrorum: vero veriùs proindè quod ſcripſit De Vallognes: Teſtes iam hoſtes ipſi, qui pietatis ab eo cultum vident etiam in caſtra reuocatum.*

G *Ludouici*

65. Conſtanti prouecta rotá per cærula Glauci,
Et claras tellure plagas; Tibi ſubdere turres,
Bis centum pariter cum captis Vrbibus vltrò
Et Cybele pergunt, & iura liquentia Nereus,
Fortior & Francis audet Tibi Francus inauſa.
Auſpicijs animoſa tuis quid Gallica poſſint
Pectora in Iſmarij fatum exitiale tyranni,
66. Excita Pannonijs docuerunt prælia terris,
Auſtriacas peterent Aquilas dum cornibus iræ
Luna-

65. *Ludouici felicitatem in tanta regni amplificatione haud in prǣteritis Regibus reperias. Extat Numiſma, in quo, vt ſuprà notaui, legas, circumducto hoc titulo,*

VICTORI PERPETVO.

& infrà, OB EXPVGNATAS URBES CC.

66. *Auxiliaribus copijs ſex mille Gallorum, quibus Leopoldo Cæſari ſemper Auguſto præſtò fuit, Turcarum Hungariam inuadentium ferociam fregit Anno* 1664. 1. *Auguſti. Cæſa ſunt in eo conflictu ad* 13. *aut* 14. *millia Turcarum. Extat Numiſma his verbis:*

GERMANIA SERVATA.

Ad D.

Lunatæ, & pauidum Thrace confunderet Istrum.
Gallorum fracti Turcæ incurrentibus armis
Tinxerunt Arabonis aquas, & sanguine fluxit
Torpidus Odrysio, truncisque natantibus amnis.
Barbarico subducta iugo Germania plausus
Grata ciet, laudisque Tibi monumenta perennis
67. Extruit, & sculpto decorat sic marmora facto.
Hic MAGNI Gladio LODOICI Thracia cessit,
Vulneraque à Franco luxit fatalia Lunæ.
Marmora temporibus vincemur; gloria vincet
Tempora; quæ summa est virtus supereminet annos.
Sunt hæc armiferam bella excedentia molem,
Traiano quam Roma suo fastosa dicauit;
68. Æmula sed miro nunc schemate Gallia cernit
Translatam, & Magno metitur Rege minorem.
Grande

67. *Ad D. Gothardum in flumine Arabonis monumentum æternum Ludouico Magno, cuius subsidiario exercitu fracti Turcæ, & in fugam auersi.*

68. *Celebrem Romæ columnam Traiani Rex formis exprimi iussit, & in Galliam tranferri.*

Grande ſupèr miſcent pacatæ inſignia dextræ,
69. Atque operum numeroſus honor; Rex Pallada nodat
Gradiuo, & pacis placidas belli artibus artes.
70. Auguſti redeunt Soles, ſed luce coruſci
Largiùs effusà Soles, & candida Muſis
Tempora, cum ſtimulis actus regalibus iret
Pegaſus, & *docti* regerentur murice partus,
Jngeniiſque faces gemmarum accenderet ardor.
Jmperio, LODOICE, tuo ſudare peritæ
Cœperunt frontes, vigilique ardere lucernà
Scribendi curæ inſomnes; iuſſa omnia legum,

Et Fas

69. Artes omnes bonæ ſub Ludouico mirificè florent. Præfert id Idea D. Mariete typis propoſita dicto illo ponderoſo:

REGNVM
LVDOVICI MAGNI
SCIENTIARVM, ET ARTIVM REGNVM.

70. *Oratores, & Poetæ ampliſſimis donati muneribus à Ludouico aureum olim ſub Auguſto Literatorum ſæculum reuocant, & quidem longè pretioſius, quià doctis Inuentis vberius.*

Iuſti-

Et Fas Franciadûm, Regni queis nititur ordo,
71. Jn LODOICÆUM coeunt digesta volumen,
Plusque tuo titulos, quàm nomine Cæsaris ornant.
72. Sunt quibus exactis procusa numismata sæclis
Jn seriem duxisse labor, Regumque figuras,
Abstrusasque notas, & signa euoluere, & annos,
Et veterum ærato monumenta docere magistro.
73. Sunt quibus est sudor quæ gesta insignia Regis,
Et sub Rege micant, æuo dare cusa futuro,
Ut seri stupeant, discantque imitanda nepotes.
Addita & ars arti, quæ saxa in fœdera iungit,
74. Ut Luparæ charites et Gallicus inserat Ordo,
Antiqua

71. *Iustinianum Augustum Cæsarem æmulatus Lodoicæum Codicem componi iubet, in quo Regni leges digestæ. Ius hoc Gallicum publicè explicari cæptum* 28. *Decemb. an.* 1680.

72. *Studium numismatum antiquorum mirè promouet.*

73. *Gesta omnia Regis, & sub Rege illustria per excusa suis subindè temporibus numismata memoriæ posteritatis tradi iussa.*

74. *Rex iam instituta Architecturæ Academia ad nouum Ordinem*

Antiqua affinis commercia & Ordinis ornet.
Rex inuentori calcaria gemmea ſubdit
Ingenio, proprios opulento in lumine vultus.
Sic pulchras animat donis genitoribus artes.
75. Arma alij calamo complecti, artemque Mineruę
Armatam, & ſtudijs munire recentibus vrbes.
Hi radio cœli motus, & ſidera monſtrant;
Hi terras, certoſque maris deſcribere fines
Intenti, & pulchram Inuentis ditare Matheſim.
76. Pars pedibus leges, choreiſque notare figuras,
Et caſtigato ad numerum diſcurrere paſſu.
Quærere pars veneres voci, moduliſq; per aures
Concin-

dinem architectonicum excogitandum, ſuperaddendum Corinthio, & Compoſito Lupara, Architectis, Sculptoribus, & alijs rei Inuentoribus Imaginem ſuam gemmis illuminatam præmium proponit.

75. *Mathematica, & præſertim ars munitionum, fauente Rege, incrementum capiunt. His apertæ ſcholæ, Breſtiæ, Nannetis, Maſſiliæ.*

76. *Academia Choreæ, Muſicæ, Machinarum ſub Regis tutela.*
Scilicet

Concinnis animo dulces inducere motus.
77. Italià acciti, qui pegmata crescere sensim,
Arcanoque docent ferri conamine moles,
Laxandi ad plausus inuitamenta stuporis.
78 Quodque caput, luci quæsita vsura cadenti
Longior; huic multus vigilat Podalirius, omnes
Morborum facilis dextrà iugulare cateruas,
Indere funeribus frenos, echeneida morti.
79. Lætior at cultus Pindo, cui Lilia fundunt
Aurea felices vmbras; tutamen, & ingens
Sudori pretium docto; germana renidet
Gratia sermonis, Mantus cum Vate Pericles
Romu-

77. *Scilicet Vigaranus, & Riuanus, de quibus infrà.*

78. *Celebris præ cæteris Regia Societas Medicinæ ab anno* 1688.

79. *Patrocinio Regis firmatæ, & ornatæ Academia Arelatensis an.* 1669.*, Suessionensis an.* 1676.*, Nemausmensis an.* 1682. *Andegauensis an.* 1685. *Villæ Francæ an.* 1687. *Regis iussu classici Auctores Latini eruditis notis illustrantur ad vsum Delphini.*

Ludouicus

Romuleus, cliuoque Cohors dominata bicorni,
Signatur meliore notá, Latiæque Camœnæ,
Non obſcura ſuo, ſed tardæ crimine mentis,
Senſa patent, hebetemq; docent ſperare Mineruam.
Fronde nouà, & fœtu videas Laureta frequenti
Sequanicis vernare plagis; *facundia* pleno
Amne fluit *facilis*, venàque beniguiùs vndat.
Regia (*quis* credat?) Luparæ domus, æmula cœlo,
Emporium ingenijs, & Palladis artibus Attis,
Parnaſſus Vati; hinc Aulæ noua Caſtalis hoſpes,
Quæ tenuit quondám campos, & ruſtica montes.
Gallica congeſtis Academia ſepta trophæis,
Collecti flos ingenij, lumenque Mineruæ
Purius hìc creſcit Regi; Rex Magnus Apollo eſt,
Auſpicio qui plectra ſuo, citharaſque canoras
Inſtimulat, doctoſque iubet dare murmura fontes,
Et Sophiæ omnigenis latè diſcurrere riuis.

Tu

80. *Ludouicus intra Luparam Scientiarum Academiæ* L'Academie Francoiſe, *ſedem attribuit. Fundata hæc, & firmata in Bibliotheca Regia an.* 1662.

Rex

81. Tu quoque Gens almo radians á Nomine Iesu,
Ubera cui tenero siccant communia labro
Mille greges iuuenum, & sanis cum moribus omnem
Palladis exugunt rorem, quàm tuta subaxe
Borbonio, & fausto LODOICI Sidere flores!
Inde Ignatiadûm radio viguere Penates
Diuite, & instructæ *Musis fulsere* palæstræ,
Doctaque se tollit Gymnas, cui Regia *fronti*
Nomina, & immunis data iura opulenta Mineruæ.
82. Regia demisso Franci diademate Reges
Si Loyolçæ soluenda piacula dextræ
83. Supposuere olim; Regum quoque Maximus vni
Nunc, Franciſce, tibi purganda arcana per aurem
Subijcit

81. *Rex secunda in Societatem Iesu voluntate, & munificentia singulari, eam amplissimis donis donat, fundatis domibus auget, & cumprimis Regio Parisijs Collegio constituto, reditibus, immunitatibus, & priuilegijs Ludouico dignis insignit.*

82. *Reges Galliæ soliti à Soc. Iesu sibi Confessarios legere.*

83. *P. Franciscus de la Chaise Vir candidi pectoris, probita-*

 te, pru-

Subijcit, vt niteat Superis, & fulguret ostro
Nobiliore Poli. Quantæ compendia laudis,
Te placuisse ducem maioris ad ardua Regni!
Sic Loyolæam numeroso munere Gentem
84. Dum cumulat decorans, & numine protegit alto,
Magnanimo decertat Auo, qui voce potenti
Extulit afflictam, patriâque in sede repostæ
Cor legat moriens, monumentum, & pignus amoris.
Reddemus num, MAGNE, vicem pro talibus *actis?*
Non opis id nostræ, vel per discrimina Martis
Agminibus

te, prudentiâ, doctrinâ Regi apprimè charus, cui diù à Confessionibus est.

84. *Scilicet Henrico IV. qui coram regni Principibus Societatem grauissima oratione vindicauit, Galliæque restituit, & moriens, cor suum in argumentum amoris æterni Flexiam deferri iussit, ac Societatis Patribus concedi,* quod *inquit Brietius*, mæstissimi suscepere, non tantùm vti Principis sui, sed & Parentis optimi, á quo tot bona, tantâ amoris significatione susceperant, vt iis sperare maiora non auderent.

Patres

85. Agminibus facilem demus poſcentibus aurem,
Crimina quò purgent, redimantque in funere vitam;
86. Vel prece pulſemus Superos, puraſque petamus
87. Borbonio generi luces, calamoque fideli
Conemur ſæclis tua pingere geſta futuris.
Promeritis ſed ſumma tuis eſt gloria vinci.
88. Haud minor Artificum Regali floret ab oſtro
Gratia, ſeù libeat ſpirantia mollius æra
Cudere, ſeu viuos mentiri marmore vultus,
Siuè coloratam telis inducere vitam.

Nutritur

85. *Patres Societ. in Miſſione caſtrenſi ſub Ludouico Gallis militibus præſertim in acie cadentibus ſalutarem operam nauant.*

86. *Myriades Sacrorum, & aliarum precum pro beneficentiſſimo Rege per vniuerſam Societatem oblatæ Deo.*

87. *Scripſerunt de Ludouico Auctores Societatis penè innumeri, inter quos Dondinus, Petiotus, Vauaſſor, Zoccoly, Coſſartius, Hadrianus Iordanus, Petrus de Vallognes, Petrus Dozennius, Albertus Daugieres, Buſſieres; ſed in primis eruditiſſimè Claudius Franciſcus Meneſtrier in Ope-*

re, cui

Nutritur multo cum Zeuxide multus Apelles,
Praxitelesque, & Phidiaci solertia cœli,
Cunctaque liligero vetus indita Græcia regno.
Argumentum ingens operis Rex omnibus vnus,
Cuius in effigie viuax pictura superbit,
89. Sculpturæque labor, nomenque, & gesta loquutæ
Ambitione

re, cui titulus : Histoire du Regne de Louis le Grand, *Petauius, Le Brun, Labbe, Boucher, De la Bretonniere, De la Rue, Du Pont. Trosne, Dorleans, Lucas, Carité, Commire eximius Poeta Lyricus, & Galliæ Horatius, Quartier, Iouuancy, Caron, Epineul, Baume, &c. Vide Menestrier, in quo reperies vltra centenos.*

88. *Pictorum, Sculptorum, & aliorum Artificum studia muneribus, & patrocinio adhuc teneri Regis excitari cœpta an.* 1648. *Habet nunc Gallia quicquid olim Græciam conspectam fecit.*

89. *Auctores neoterici nil magis ad immortalitatem memoriæ gloriosum putant, quam vel de Ludouico scribere, vel Ludouici nomen suis operibus præscribere; nulli propterea Regum tot libros dicatos facile reperias.*

Ex

Ambitione tument laturæ ſæcula chartæ.
90. Floriferum in regnum cultas Europa per artes,
Diues ab indigenà, peregrino at ditior auro
Influit, & totam vegeto ſe corpore miſcet;
Unde altum nomen, firmique potentia ſceptri,
Ingenteſque animi, & penetrabile mentis acumen
Accreſcunt Gallo, ſi creſcere ſumma putandum eſt.
Vileſcit Phrygius ſudor, cum Francia telas
Pingit acu, aut varians arguto pectine denſat,
Vel fucat, viuis imitata coloribus irim;
Nec ſplendeſcit Eques, nec princeps fœmina cultu,
Quem non Sequanicà vulgauerit vſus in aulà,
Et Regis cenſura probet, quo iudice, formæ,
Veſtituſque nouæ veneres ſine crimine pulchræ,
Confeſtim externas blandè dominantur in oras
91. Quæſitæ, & totus Gallum ſe conſpicit Orbis.
Prætereà culti vario ſub cardine Mundi,

Quæ

90. Ex artium præſertim cultu, opulentia, potentia, & ingenij fama Francis acceſſit maior, quàm cæteris gentibus.

91. Veſtiendi formæ ex Gallia in nouum morem toto penè Orbe recipiuntur.

Regia

Quæ diuisa plagas, atque Vrbes altiùs ornant,
Rex, collecta tenes, numerumque recentibus auges
Prodigijs operum, nec largo æraria sumptu
Lassantur, possuntque magis, cum plura refundunt.
92. Regia, quam cœlo educis, propiùsque videre
Astra iubes, celsàque in celsum fronte minari
Assurgente Iouem, *Te* maiestate fideli
Lineat immensæ graphidis, venasque metallo
Pauperat aggestas, centenaque viscera montis;
Et statuis, mirùm serie currente, locatis,
Portici-

92. *Regia, Gallicè* le Louure, Palatium, *vt scribit Baudrand*, totius Europæ superbissimum, *immensùm augeri, & magnificentià plusquàm regali exornari cæpta; hinc illa celebris epigraphe.*

Par Domus hæc Vrbi est, Vrbs Orbi; neutra Triumphis
Et belli, & pacis par, LODOICE, tuis.

Praclarum item numisma frontem Lupare præferens cum epigraphe:

MAIESTATI, AC ÆTERNITATI GALL. IMPERIJ SACRVM.

De

93. Porticibusque frequens circùm, ſyluàque columnarum
Atria diffundit latè reddentia campos,
Atque vrbem facit vna domus, Dominoq; tumeſcit
Ambitioſa ſuo, & Solis quoque prouocat aulam.
94. Par etiam Vrbs Orbi, tantumque anguſta triumphis,
MAGNE, Tuis, firmo didicit ſeruire nitori,
95. Strata vias ſaxo, ponitque Lutetia nomen;
Et portis concinna nouis, atque aucta ſuperbis
Molibus,

93. *De Columnis, ex Ægypto aſportatis vide infrà in Not. deſcriptionis Verſaliæ.*

94. De *hac ita Baudrand in ſuo Lexico Geographico :* Urbs eſt totius Europæ ampliſſima, populoſiſſima, & ditiſſima, emporiumque celeberrimum, quotidiè ſuprà modum excreſcens, nec iam Urbs, ſed Prouinciæ inſtar; eius ſuburbia magnæ Urbes. *Numerabat Lutetia ſub Henrico IV. decies centena, & quadringenta millia hominum* 1400000. *Nunc ſub Ludouico mirum in modum aucta numero, ampliata ædificijs, & penè duplicata, quàm frequens ſit habitantibus, tu conijce.*

95. *Lutetia ſub Ludouico, lapide conſtratis vijs, munditia; concinnitas*

Molibus, & bellè ducto circundata muro,
Ut compti niteant hominum, Te Principe, mores
Muta refert, cultum ſub quo vel ſaxa docentur.
Quin vbi ſe vitreà Phœbus componit in vrnà,
Heſperus & primas accendit in æthere tedas,
96. Ordine flammarum longo tecta ardua lucent,
Et ſeruant ſub nocte diem, ſtellaſque laceſſunt,
Criminaque expulſis pellunt furtiua tenebris.
Numquam Regis amor cæcus; dum lumina claudit
Somnus, in innumeris vigilat magis ignibus Argus.
Ipſa in Sequanicis ſe rursùm antiqua theatris
97. Naſcentem ſpectat MAGNO ſub Principe Roma,
Et

nitas in portis, maieſtas in ædificijs, & in muris circumuallantibus corona. Id exprimit excuſum Numiſma, in quo Matrona turrita, manu vnà nauigium tenens, alterà Cornucopiæ Lutetiam repræſentat, cum lemate:

ORNATA, ET AMPLIATA URBE.

96. *Lutetiæ per accenſa noctu lumina ſecuritas, maximè à latrocinijs, quibus anteà erat obnoxia.*

97. *Ludouicus Magni Pompei æmulus ſplendida excitat theatra*

Et rerum pandens ſcenis portenta coruſcis,
Arrectas populi mentes, & lumina paſcit.
Pompeius ſub Rege latet felicior alter,
Cuius ab auſpicio famam ſpectacula ſumunt,
Abſtruſoque audent actæ molimine moles
Æthereas tentare vias, hominique negatis
Ire homines alis, & ſe committere vento.
98. Obruimur factis: canà quâ fauce Garumna
Dulcia Neptuno ſe in vectigalia ſoluit,
Inuidioſa Pharo, tentamentoque Gigantum,
Quò ſociæ rupis nutauit baiulus Oſſa,
Heſperio dominata mari ſtat turris ad axem;
Et flammis accenſa caput, deſpectat Iberum
Nerea, & horrentem proiectà nocte per vndam,
Conſpicuo trepidas ſolatur lumine pinus.
Clarior

tra, magno conductis machinatoribus, inter quos celebris Vigaranus ex noſtra Italia accitus, & Riuanus.

98. *Turris Corduana ad Garumnæ fauces erigitur, noua Pharos nautis. Turris ſiderum ſpeculatoria magnificentiſſimè Pariſijs extructa an. 1667.*

99. Clarior at vaſtos, mirante cacumine, Turris
Pariſios, Cœli arcanis ſpecula alta notandis,
Quæ ſcrutanda vitro ſtellata volumina condunt.
Rex potis, & terris, potis & dominarier aſtris;
Saturnoque datos proferre ſatellitis ignes
Gyrantis, proprioque nouam dare Nomine lucem.
100. Grande ſupercilium vel ab ipſo agnomine tollens,
Regia porrecti lunatur machina pontis;
Marmoribuſque immane latus firmata, laceſſit
Temporis, & fluuij morſus; ſubmiſſaque tantùm
Authori Magno obſequitur curuamine dorſi

Multi-

99. *Turris ſiderum ſpeculatoria miræ altitudinis, & ſtructuræ*; Gallicè l'Obſeruatoire, *Ex qua anno 1686. primùm detecti quinque Satellites Saturni, & appellati ab Academia Scientiarum,*

SIDERA LODOICÆA

100. *Pons Regalis multiplici fornice, eodemque ſpatioſo iungens Sequanam, tantæ amplitudinis, vt pluribus quadrigis pariter incedentibus iter præbeat, relictâ ad vtrumq; latus etiam pro peditibus viâ benè commodâ.*

Arcus

Multiplice, in plausus dum subter frangitur vnda.
101. Nec vinci se laude sinit, qui crescit in auras
Plausuras semper submisso turgidus Arcus
102. Burgundo, & Belgâ, germana atque altera moles,
Depressę Batauûm pondus memorabile fronti,
Et Regem tacito dicturum in sæcula saxo.
103. *Præcipites notis auersæ à portubus vndæ*
Insuetas tenuere vias; & vortice priscos
104. Dediscunt iussæ cursus; it Sequana muro
Frenari patiens, Regisque dat oscula freno.
Instaura-

101. *Arcus Triumphi pro partis à Rege in Belgio, & Burgundia, erectus vltra suburbium S. Antonij. Extat Numisma cum hac epigraphe:*

POUR LES CONQVESTES DE FLANDRE, ET DE LA FRANCHE COMTE' M.DC.LXX.

102. *Arcus item Triumphi ad portam S. Dionysij domitæ Hollandiæ monumentum.*

103. *Torrens à portu Telonis Martij, vulgò* Toulon, *deflectitur.*

104. *Sequanæ alueus ducto muro stabilis efficitur.*

 Excitata

105. Instauratæ Urbes, & claris Molibus auctæ
Iugera sudanti quot subduxere colono?
Æquatam ostentant cœlo palatia frontem,
Et veteri discunt positâ splendescere formâ.
106. Elatis delubra tholis vel nubila sacrant,
Munificâ ditata manu, cultuque superba
Inuitant specie Diuos radiantis Olympi.
Quò niteant semper, censu dotantur in æuum
Ubere; quę pietas! numeri longo ordine, Solis
Exuperant cursus, anno voluente, diurnos.
107. Hospita tecta vides, miseræ solatia turbæ,
Clemen-

105. *Excitata, concinnataque, præsertim Lutetiæ, & Insulis palatia magnificentiam Ludouici præseferunt. Pulchrum in id cusum Numisma, in quo Alcyon nidificans in tranquillo mari; cum lemate:*

PACE DATA ÆDIFICAT.

Ad calcem numismatis:

ÆDIF. REGIA 1679.

106. *Extruxit Rex (maior ideò Constantino Magno) attributis*
107. *amplis prouentibus, vltra quinquies centena Tēpla cultu, & opibus ornatissima; vt apud Menestr.* *No-*

Clementes laxare ſinus, quibus ægra fouetur
Conditio, & ſenium, & viduata parentibus ętas;
108. Septaque ſacra virûm, quæ viuida ſedis imago
Empyreę, & Diuûm felicibus æmula tectis,
Siue ſonent laudes, ſeu fument thura Tonanti;
109. Virgineoſque Lares, tutæ penetralia formę
Splendida, & electi Cœlo viridaria floris.
110. Omnia Regis opus: parili Domus ampla pateſcit
Munere, grati animi terris, Superiſque Theatrum,
Sudor vbi Regi ſparſus penſatur, & auro,
Ferri damna placent, quæ demulcenda profuſo.
Ipſa pij Martis lenimine vulnera dulci,
Dulcè ſonant, LODOIX, LODOIX, èt voce cruentà.
Innumeris

108. *Noſocomia, Xenodochia; Sacrorum hominum Cænobia.*
109. *Virginum Collegia; Celebre illud, & magnificum, Gallicè* Sain Cir, *vbi trecentæ aluntur Virgines nobilitatis ritè probatæ: & alia id genus eximiæ monumenta pietatis.*
110. *Eminet inter opera Regia Hoſpitium Martis pro militibus ſaucijs, & incommodæ valetudinis; aſſignatis in prouentum quingentis millibus Francorum. Ita Meneſtrier.*
Nauigia

111. Innumeris operis armamentaria feruent;
Coguntur nemora in puppes; incude domatur
Barbaries chalybum, & torto gemit anchora dente;
Velaque densantur classi, flectitque rudentes
112. Fœmineus labor, atq; vrget quoq; fœmina Martem.
Quàm celebri inuento, generosa per otia, votis
113. Bellonæ ingenuam succrescere gymnada cernas,
Terroresque hosti, & Franco noua fulmina regno!

Chilias

111. *Nauigia militaria Telone Martio noua in dies arman-*
112. *tur, & magno numero armata stationem agunt; Massiliæ verò Triremes; in his instruendis cum operariorum populo etiam fœminæ desudant.*

113. *Seminarium mille bellatorum ex Gallica iuuentute nobili Metis, & Tornaci regali impendio à Ludouico constituitur. Singulis hisce Martis alumnis dantur equi, arma, & ad victum pecunia, vsque dum pugnæ vmbratilis omnibus numeris absoluti, præstantem & Regi, & Regno in bellis operam nauare possint. Adde Seminaria Marina Brestiæ, Rupifortij, Telonis Martij, Classiarijs formandis instituta. Adde insuper sex millia iuuenum Nobilium,*

quos

Chilias accitur iuuenum, quibus alta propago,
Digni animi Gallis, promiſſaque in indole virtus;
Tornacum his ſedes, Metæ illis; regius omnes
Largè ſumptus alit, ſimul aptis inſtruit armis.
Quiſque colat bellorum artes, diſcatque per vſus,
Atque datis pugnator equis vmbratile bellum
Miſceat, & ludo ſe ad ſeria prælia formet.
Indè ſeges matura ducum voluentibus annis,
Qui docti regere imperijs, & lege Gradiui
Ad palmam ſtruxiſſe acies, arceſque tueri,
Aut certo capere incurſu, ſtragemque peritâ
Ferre manu, & ſolij famam firmare potentis.
Militiâ regnum conſtat; ſine milite Reges
Nomina ſunt, ſocio pollent diademata ferro.
114. Pullulat haud diſpar laudum Tibi meſſis in agro.
Tuſcula

quos ſuas diſtributos in turmas Regni arcibus cuſtodiendis aſſignat: Ex is eliguntur, qui deinceps copiarum Ductoribus ſubrogandi.

114. *Etiam in villis Ludouicum ſe probat, ideſt Magnum; eas enim ità opiparas extruit, vt collecta teneant, quæ ruri di-*

Tuſcula terra loci ingenio, & conatibus artis
Auſonias inter longè pulcherrima terrás,
Et ciue eximium Pomonà, & Chloride Tibur,
Quæque Europæo clarent viridaria tractu,
115. In villas traducta tuas; Verſalia Floræ
Sola decus ſparſum verna inter ſepta coercet.
Hìc vbi delicias Natura ſeuerior odit,
Ars amat, & pulchro blandiſſima promouet auſo.
Faſtoſæ ſedes, & iuſta ſuperbia ruris,
Exhauſto, fuluæ lucis penuria, Gange,
Frontibus eductis, & ſcintillantibus auro,
Aduerſo pugnant Soli, radijſque loquuntur,
Quę penitùs ſeruantur, opes; auri alta ſupellex,
Argen-

ri diuiſa beatos efficiunt, & loca omnia per Europam delicijs celebrata longè ſuperent.

115. *Verſalia Orbis villarum prima, & veluti compendium; antea loci ingenio inamœna, & ſterilis, laudem ſuam omnem Ludouico debet, qui, vt fama tenet, in illa extruendà, exornandàque ad centies, & ſexagies centena millia Florenorum impendit paucis annis.*

Nihil

116. Argentique micant immani pondera massâ,
Quam vel Mulciberi defessis follibus ardor
In varias coxit formas, vel malleus ictu
In solidas mensas, & vasa enormia duxit;
117. Aut manus attenuans miris in fila figuris,
Tortile dat tumido pendere à pariete lumen.
Quà niuei splendor cessat, flauique metalli,
Scintillant lapidum pretioso segmine crustæ;
Nec pretium in pretio est : nimio vilescit ab vsu.
118. Assurgunt & honore gradus, quibus itur in ædes
119. Aerias; rupis variæ plaga multa tributum

Aggerat

116. *Nihil habet Versalia, quod Ludouicum non prædicet Magnum. Admirationi sunt aurum, argentumque factum, si-*
117. *uè spectes vim immensam, siuè opus. Aulæa itidem ex argento neto, & mirè figurato, quod vulgò vocant, Fila-*
118. *grana. Scalæ ex vetustissimo, & pretiosissimo marmore*
119. *Lapidicinæ præsertim in Guinea, & in Pyreneis inuentæ paucis ab hinc annis, varijs bellè distincta coloribus marmora suffecere alijs item Regiorum molibus ædificiorum.*

120. Aggerat, & veteris lucentia frigora ſaxi.
121. Quæſitus magno, & pupilla iudice lectus
Solerti populus telis, & marmore viuit,
Quem ſtupeat cenſor Phidias, & cenſor Apelles.
Omnia Te MAGNUM mutà vel laude celebrant.
122. Marmoreis veſtita quadris ſunt nocte ſub vnà
Atria quæ ſpectes, ſpondà dum ſurgis ab aureà,
Rex, ſurgente die; ſomnos ea cura fugauit
Colberto, dignus qui Magno Agamemnone Neſtor,
Saxa velut diſcreta faber, committere Francis
Conſilio celeri doctus per fœdera gentes.
123. Quidquod anhelanti crebrùm liquefacta camino
Immenſa

120. *Rex etiam columnas in ruinis antiquæ Vrbis in Ægypto inuentas, & ſemiſepultas, effodi iuſſit, & in Galliam aſportari.*

121. *Pinacotheca lectiſſimis Statuis, picturiſq; iconicis referta.*

122. *Dum Rex ſomnum caperet, atrium mira celeritate noctu conſtratum vrgente Colberto, qui ob prudentiam omninò ſingularem, longè ante alios acceptiſſimus Ludouico.*

123. *Penè fidem excedit vis innumerabilis plumbeorum tuborum*

Immensa absumptis plumbi momenta fodinis
In teretes cessere tubos, queis serpere gaudent
Fontanæ charites, centenûm & nisibus actæ
Cornipedum, innumeræ circùmq;, infràque, supràq;
Perque breues ludunt syluas, simulacraque mille
Discretos complexa lares, ac mollibus errant
Saltibus, & tacità spectantem aspergine fallunt.
124. Vertit èt in frondes plumbum, cannæq; palustris
Mentitur latè lucos, qui protinùs agmen
Undarum strepero tollunt ad sidera iactu,
Et Mare per ventos, tempestatemque volutant.
Gens Lyciæ ranarum aciem mentita virentem,
Saltatricem animam lento donante metallo,
Euibrat affines, nec auaro gutture, lymphas.

Molliùs

rum sub terra latentium, ex quibus artificiosi fontes, equorum agmine adnitente, eliciti, per frequentes syluulas, & vbique disposita signa ludunt errabundi.

124. *Fontanæ fistulę arundinetum repræsentant, & fabulam agrestium Lyciorum, qui in ranas conuersi ex Ouid. 6. Metam.*

 Fons

125. Molliùs expreſſi Fons adblanditur Amoris;
Alternant aurà teneræ ſuſpiria formæ,
Et fidis lacrymantur aquis; in frigore ſpirat
Ardor, & agnato vigilant ſub rore fauillæ.
126. Artifices etiam, natæque ex ignibus vmbræ
Brumam æſtate fouent, fictæque ex ære cauato
Arboreæ vernant, artis mendacia, moles,
Irriguaſque ferunt, mutatis fructibus, vndas.
Sed magè ſuſpendunt animos, atque ora tuentûm,
127. Qui vicina vident aurato ex ære Gigantes
Nubila, & oppugnant vndis, non montibus, axem,
Excelſoque vehunt ſuper ęthera vertice Regem.
128. Se miratur humus; vacuas prius arida venas,
129. Tota madet riuis, & pleno gurgite cymbas
Auratas

125. *Fons Amoris figuris molliter ſpirantibus expreſſus famam habet conſpicuam.*

126. *Illuſtres quoque ſunt arbores ex ęre, quæ aquas ſpargunt.*

127. *Aſſurgit Regis gloria èt in Coloſſis auratis, qui vndas vibrãt.*

128. *Canalis Verſaliæ varijs cymbis frequens, & Naui Re-*
129. *già bellicis tormentis inſtructà armatus voluptati eſt, & terrori.* Viri-

Auratas (Venetus quales impellit, & Anglus)
Sustinet, & grauidam villari fulmine pinum,
Regia quæ custos, & pompa timenda Fauonî.
130. Parte aliâ (nec dum pleno bis lactea cornu
Luna) exporrectus vulgari gramine campus,
In picturato formosam Chlorida luxu
Fudit, & erectas nemora in fragrantia cedros,
Flore renidentes, & pronas diuite fructu.
Carminibus deducta putes, cantataque virgâ
Thessalicâ, gemmant Regis tamen excita nutû.
Florida Phæacum prorsùs miracula cedant,
Verque sub Assyrio, quod risit pensile cœlo,
Et grauis Hesperidum mentiti fœtibus auri
Autumnus; plus Rex potuit, quàm fabula finxit.
131. Hùc post immensos duro sub Marte labores,
Post Regni studium, librataque pondera sceptri,
Mens Te cauta rapit, pretiosaque in otia cogit.
Nil

130. *Viridarium propè subitarium in rudi campo, præter lectissimos flores, adultas cedros, & fructibus onustas ostentat.*
131. *Iusta in operosissimo Rege à serijs animi relaxatio.*
Castrum

Nil peragit, qui ſemper agit; vel cælifer Atlas
Æthereos humeris poſuit ceſſantibus orbes.
132. Extorris Floræ, & clementis frigoris hoſpes,
Æſtiuo Nemees cum bellua rugit in axe,
Delicijs ſemper ſtatio benè fida, Trianon
Inuitat laſſum; mirà conclauia clarent
Arte laborata, & vitri veſtita medullà.
Cryſtallo ex ſolidà facies laquearibus aurêis,
Parietibuſque diem multo cum fœnore reddunt,
Immittuntque animis; vitreoque docente Magiſtro,
Addiſcis fixas diademate frangere curas.
Nunc ſublimis equo, qui de Seſſore ſuperbit,
Aſſurgitque minax, nemoroſa ſilentia terres
Venator, certique feras libramine teli
Porrigis, aſſimilans quid dextera geſſit in hoſtes.
133. Ipſa èt ſemoti vario ſub cardine Mundi
Didita,

132. *Caſtrum Trianonis, vulgò* Chateau de Trianon, *deliciarum, præſertim per æſtatem, ſedes floribus omnigenis vernans, & cryſtallinis quadris immanibus perſpicua.*

133. *Conſeptum, ſeù Viuarium, Gallicè,* Menagerie, *vbi omnigena*

Didita, ſeptorum gremio collecta capaci,
Terribilem ad ſceptri pompam, populique ſtuporem
Monſtra tuo imperio parere coercita diſcunt,
Deliciumque horrens, clausà feritate, miniſtrant.
134. Nunc inter priſcos, viuoſque in marmore vultus
Aduectos Latio, & ſepteno culmine Romæ,
Grandem animum nutris, habileſq; ex ordine thecas
Diſpenſas virgà, qua dirigis agmina campis.
Te modò sidereos inter, tua fama, Coloſſos
135. Occupat Enceladus pendentem lumine, tantò
Altior, vt placuit Regi, licèt æneus ille.
Contendunt placuiſſe Tibi vel luſibus vndæ,
Vel florum ſpecioſæ acies; iam ſibilus auræ
Dulcior

omnigena ferarum monſtra, ex diuerſis, remotiſque Orbis plagis aſportata clauduntur ad horridas delicias, & peregrinum ſpectaculum.

134. *In celeberrima ſua pinacotheca viſus ſæpè Ludouicus virgà deſignare loculamenta ſtatuis Romæ aſportatis.*

135. *Coloſſus Enceladi præ cæteris Regi probatur ob egregium formæ modum.*

Quà

137. Dulcior, & placidi clementia purior axis;
Jam data feſtiuas inter, noua fabula, ſcenas,
Concinnàque ſalis non vnus Roſcius arte;
Mæandro nunc artifices errante choreæ,
Et crebro in metricos animatæ Amphione ſaltus.
Multa etiam ſeruit ludorum gratia Regi,
Lętior Aula quibus nocturna per otia feruet;
138. Non tamen ad luſum miſcetur picta papyrus,
Nec tali ſors iacta placet, nec ludicrus Anſer.
139. Jngenium ludit, promptæque peritia dextræ.
Alueolis ſpectes bicoloribus ire maniplos
Mentitam in pugnam; pariter color albus, & ater
Quos notat, & vario deducit tramite luſor.
140. Longa coloratis vbi ſternitur area villis

De-

137. *Quà villaribus oblectamentis, quà dramaticis actionibus, choreis, ludis Rex grauiores curas remittit.*

138. *Expunguntur hinc folia luſoria, teſſeræ, ludus anſerinus, & omnis alea.*

139. *Contra vſurpantur latrunculi, & tudicularis ludus, in*
140. *quibus ingenio, & dexteritate opus eſt.*

Cele-

Decurrunt volucres sphœrę, quas clauula trudit,
Angustæ vt subeant bis curua foramina portæ,
Terque orbem ingressas ferratum palma sequatur.
140. Ipsam more nouo ludentem Pallada cernas,
Remq; Geographicam pictum per Stemma docentem:
Otia sunt lucra, & docto pede tempora currunt,
Ingeniumque iocans addiscit seria lusu.
141. Undique dispositis glomerantur sacchara mensis,
Et niueæ ambrosiæ concreto munere ludi
Dulcescunt, purique calent à nectaris haustu.
Ast vltrò, Regem ponens, Rex omnia condit
142. Dulciùs, & facilem se colludentibus addens,
Tru-

140. *Celebris est inuentio ludi, in quo notitia Geographica & requiritur, & magis acquiritur per Stemmata Gentilitia; Gallicè* le Jeu des Armoiries.

141. *Ad accessionem hilaritatis, magnificentià, & apparatione splendidissimà extructæ mensæ, & salgamis sacchara conditis, & quæsitissimis potionibus onerata, quò subindè lusores ingenui recreentur.*

142. *Rex apprimè comis, & iucundus facillimum se præbet luden-*

Trudiculis certat (Regi hæc eſt lecta voluptas)
Atque teres collimat ebur, voluitque perito
Verbere, & aſſuetus verſare potentibus Orbem
Viribus, affini reddit facta ardua ludo.
Nec fortem minùs iſta decent; heroibus olim
Teſtatur decorata quies: ſic magnus Achilles
Troianà de *ſtrage calens*, qua *torſerat haſtas*,
Tentat plectra manu, & pectus tranquillat anhelum.
Biſtonijs atrox etiam Gradiuus in aruis,
Depoſito paulùm poſt feruida prælia ferro,
Rorantes ſudore artus per gramina ſoluit,
Pierijſque truces lenit concentibus iras.
Quis referat populis ſtructas iniecta per arces
143. Frena feris, Martiq; moras; tolluntur in hoſtem
Tam longâ numeri ſerie; ſic præpete creſcunt
Ducta

ludentibus, idemque tudicularem ludit luſum, quem ſibi præ alijs optauit.

143. *Quod de Iulio Cæſare ſcribit Plinius l. 7. cap. 25. eum ſcilicet adhibuiſſe celeritatem* quodam igne volucrem, *quadrat prorſus in Ludouicum, cui non ſolum in belli-cis*

Ducta manu, vt nasci vel propugnacula credas.
Et tamen omnigeno surgens munimine circùm,
Atque intùs vallatur opus; stat saxeus agger,
Longaque murorum facies, prætentaque muris
Castella, & Valla, & cryptæ, securaque teli
Porticus, & Fossæ, & non plenæ cornua lunæ;
144. Jmmanesque tubi lassà fornace recocti
Ærea inacessis exertant mœnibus ora,
Et furias condunt, pyrioque in puluere cædes.
Bellator

cis expeditionibos conficiendis, sed èt in arcibus excitandis mira properantia. Vrbes firmatæ munimentis, & arcibus, Atrebatum, Luxemburgum, Mons Regalis, Brisacum, Insula, Tornacum, Grauelina, Dunkerca, Valentianæ, Ypera, Pinarolium, Casale, Argentoratum, Huninga, Landaum, Malbodium, Menina, Arx Ludouica (Fort Louis) *& Sarlouisium conditum in Lotharingia &c. Paucis dabo : Id genus munimenta ducenta & decem numerantur.*

144. *Tormenta bellica & numero, & mole insignia Rex fundi iubet.*

145. Bellator nec pace vacat, namq; agmina laurus
Sub signis tranquilla legunt, & regia seruant
Iura citis prolata armis, quibus inditus Orbi
Jngeminat timor, & MAGNO reuerentia Regi.
146. Latiùs intereà famà, quàm fluctibus vndat,
Mutua qui sectus gemini ad commercia Ponti,
Regnum intrat *medium*, passu ditante, *Canalis*,
Grande Opus, & toto maius molimine Regum,
147. Non, LODOICE, tuo: Carolus, vox fæta triumphis,
Prompta cui Magnum sudauit dextera nomen,
Inque

145. *Per militem in pace sub signis habitum insolito vincendi genere & noua in dies acquirit, & tuetur quæsita.*

146. *Ingens, & admirabilis fossio per Occitaniam, Incolis* le Languedoc, *Italis*, Linguadoca, *à Promontorio Setio Gallicè*, le Cap de Cette, *ad Garumnam, vbi Tolosa; Tam stupenda fossione Oceanus interno Mari commissus vastam Ludouici potentiam præ alijs Regibus maximè probat. Tanti operis Inuentor vir clarissimus Paulus de Riquet.*

147. Pre de Vuisemburg Charle Magne à autre fois eu dessein de communiquer les Mers Oceane, e Noire per la Ionction

Inque feras cudit ſceptrum Victoria gentes,
Conatus liquidum callem reſerare, ſed orſis
Territus, intrepido ceſſit tentata NEPOTI.
Principio, terris intercurrentibus, vndas
Diſcluſit Numen, legemque impreſſit arenis,
Quam Thetidi violare nefas; nec carcere certo
Tritones mouere pedem, licet arida pulſent
Clauſtra obluctantes, libertatemque repoſcant.
Laxari Rex vincla iubet; Natura vetuſto
Iure negat: Regis ſed iuſſum elementa ſequuntur.
148. Bis ſenos depreſſa pedes, atque ampla tricenos
Foſſio, firma latus validi munimine muri,
Subdita quem faciunt audacem in temporis ictus
Marmora, plus mille, ac centum ſtadia obuia currit,
Porrecta à pelago in pelagus macilenta per arua,
Saxa

Jonction de Riuieres, Reduits, & Altmul. *Abbeuille Geographe du Roy en ſes Memoires Geographiques.*

148. *Canalis duodecim pedes altus, latus triginta, muris vtrinque veſtitus fundatis marmore, porrigitur leucas ſeptuaginta quatuor, demptis fluminibus, in quæ incurrit.*

A Mari

Saxa per, & valles imas, monteſque ſuperbos;
Nec ſpatio accedunt ſpatioſis curſibus amnes,
Artifici ductu quibus influit vnda canalis,
Jmmoriturque breuì, rursùmque ſepulta reſurgit.
149. Hìnc facilis ratibus trames, citràque ſonoras
Oceani furias, & longi *tædia flexus*,
Cum circùm *Hiſpani* legeretur littoris ora,
Tarda nec optatos arroderet anchora portus,
Multa niſi vacuum repleſſet Cynthia cornu.
150. Aggeribus fractis, vt cœptæ ducier vndæ,
Jmpleruntque cauos lapſu properante meatus,
Æra tonant lætùm vicinæ à mœnibus vrbis,
Perque ignes gratantur aquis, linguàque flagranti
Famam Operis ſparſere Polo, plauſuſque dedere.
It pa-

149. *A' Mari ad Mare nauigatur diebus vndecim, declinato Hiſpaniæ ambitu leucarum octingentarum.*

150. *Quod factum anno 1672. menſe Maio, ſummà populorum frequentià. Tormentis bellicis exploſis in argumentum lætitiæ ex muris Caſtelli Arianorum, vulgò,* Caſtelnau d'Arry.

Ludoui-

It pariter mistus populorum clamor ad axem,
Quos miranda tenent, & respondentibus astris;
Magnum iterat Regem MAGNUM, qui funeris exors
Æternos poscat, Parcis venerantibus, annos.
Tum verò excitur fundo Neptunus ab imo,
Summaque gemmanti vectus premit ęquora conchà,
Canitie antiquà, maiestatisque recenti
Appendice nitens; trifido nam *Gallica* sceptro
Jnseruere suum radijs frondentibus aurum
Lilia, & ambages alti diadematis implent,
Sparsaque cæruleum, tergo qui pendet, amictum
Distinguunt, textisque Poli stellantibus æquant.
Conueniunt vnà reflui Gens humida regni
Tritones, Glaucusque virens, prolesque Palæmon
Leucotheæ,& Protheus, Phorcysque, & musica Siren,
Nereidesque, cohors pelagi pulcherrima, Nymphę,
Et vectigales elatis cornibus amnes;
Murmure quos presso ventorum, vndàque silenti,
Affusos læto affatur salis Arbiter ore.
Numina, quæ nostro nunquàm non fida tridenti,
Sedatum trahitis sub tempestatibus æuum,
Protulimus regno fines, terrisque potiti
Addita

Addita ſpectamus ſceptris noua ſceptra vetuſtis
Auxilio Regis, Ponti, cui, ſorte ſecundà
Regnator poſthàc Gallus, regna humida ſubdam.
Haud Operi immenſo videre fugacia ſuppar
Sæcula; decreſcit quod commolirier audax
151. Herculeus ſudor, dùm *clauà impulſa* potenti
Calpes, *atque Abylæ* ſtellis contermina *rupes*
Diſſiluit, Pontoque viciſſim Pontus it hoſpes,
Et geminæ Heroi metas poſuere Columnæ.
Unius Alcides breue dorſum montis hiatu
Diſrupit, vario nec vis diſperſa labore;
At domat effracto LODOIX iuga plurima tergo,
Undanteſque aperit ſpatia in longiſſima fauces,
Dùm millena operum miracula iuſſibus vrget,
Jnſtructiſque vmbrat latè mea regna carinis,
Et tegit immenſos armato milite campos.
Momen-

151. *Ludouicus multorum ſecturà montium deducto Mari ad Mare per ſpatia quàm longiſſimè excurrentia, fabuloſum ſuperauit Alciden, quem diuiſo Abyla, & Calpe immiſiſſe Oceanum Mediterraneo finxit antiquitas.*

Iſthmum

152. Momentum eloquitur facti ſat Doricus Jſthmos,
Qui gracili aſſiduos retudit tellure ligones,
Atque obluctatus Regum ſudantibus auſis,
Ferrea ſub terno conamina Cæſare luſit.
Nunc agite, & mecum faciles luſtrate meatus.
Hæc vbi dicta, manu quatiens humentia lora,
Squamoſos impellit equos, atque oſtia foſſæ
Jnuadit cupidus; circùm affluxere cateruæ
Fluctiuagæ, Tritonque natat citus ante iugales,
Jnque ſonos animat tumefacto gutture concham.
Lumina, dum graditur, nùnc hûc, nùnc diuidit illûc
Rex pelagi, & tritâ montana cacumina fronte
Procubuiſſe videt, fartàque voragine tolli
153. Depreſſas valles, longoſque in fornice riuos
154. Librato celerare gradu, foſſamque Reuelis
Immen-

152. *Iſthmum Corinthium perfodere irrito auſo tentarunt Rex Demetrius, C. Cæſar, Caligula, Nero, & alij.*

153. *Aquæductus, qui decempedas mille quadringentas excurrit.*

154. *Foſſa Reuelis vndecim leucas porrecta, lata decempedas quinque, & ſex pedes alta.*

Jmmenſam ſpatijs, atque hoſpite iugera fluctu
Feruere, ieiunis olìm ſitientia glebis.
155. Hìnc, quà indignatus grauido Soror obſtrepit aluĕo,
Aggeris obuerſi molem miratur, & amnem
Spumare obijcibus, retròque reflectere curſus.
156. Undarum ſtupet indè moras, immania clauſtra
Quattuor, & *centum*, currentibus *interuallis*,
Quæ *liquidos* cogunt certa in diſcrimina calles,
Pauperiemque vadi, frenato vortice, ditant.
Tu quoq; digna offers madido ſpectacula Regi
157. Hydrotheca, ſcabræ quæ ſecta in viſcere cautis,
Et latos diffuſa ſinus, ſubmiſſaque fundo
Depreſſo

155. *Fluuius Soror aggere repreſſus, ne Canalis curſum abrumperet.*

156. *Interſtinguunt Canalem centum, & quatuor clauſtra, quæ triginta horarum ſpatio ſuperantur.*

157. *Ciſterna immanis magnà ex parte inciſa ſaxo, longa duodecim millia paſſuum, lata quatuor decempedas, depreſſa pedes viginti, ſufficiendis per æſtatem aquis, quæ in illam, præſertim ex Nerijs montibus, defluunt.*

Mira

Depreſſo, bis ſex imples miliaria curſu,
Deciduoſque bibis Nerijs è montibus imbres,
Subſidium vndoſum, ne dùm Leo rugit ab aſtris,
Fruſtratæ in tenui luctentur gurgite tonſæ.
Immotis etiam ſteterunt obtutibus vdæ
158. Æquoreo cum Rege manus, vbi machina pontis
Ardua lunato curuatur in aera dorſo,
Difficileſque vnit manſuro fœdere ripas.
Subter hiat ſpecus, & violento vortice torrens
Perfurit, & cæco refractus murmure frendet.
Unda sùper facili properat curuamina lapſu,
Expanditque vias latera inter firma liquentes,
Remigioque graues tranant mirante carinæ,
Quà ſecuit ventos pennis plaudentibus ales.
Hic demùm ad nantes conuerſo lumine Diuos
Oceani Domitor, propiùs quæ cernimus, inquit,
Rumoris

158. *Mira cumprimis eſt ſtructura pontis porrecti ſeptuaginta decempedas, & lati pedes triginta, cuius ſuprà conuexa naues feruntur, dùm infrà voluitur nimià aquarum vi torrens indomitus.*

Rumoris vicere modum; minùs inuida narrat,
Et morem dedocta ſuum, inclinata volatu eſt
Fama; ſat ad famam fratrem ſtupuiſſe Tonantis.
Talia dùm memorat, plauſuque admurmurat omnis
Turba freti, apparet Setiæ iam proxima tellus,
Cærulus & ſtratis ſe Iupiter arduus infert
Fluctibus, & ſecum admirans ſpectata volutat.
Poſtquàm Rex Thetidi ſemotam fœdere Tethyn
Nexuit, vndè fluat peregrina opulentia Franco,
159. Fulmen in hæreſeos rursùm diſtringit Erinnyn;
Et quam vexilli fuluà ſubmouerat vmbrà,
Aurea ferratis cum germina panderet aruis,
Nunc etiam latebris damnat, doctàque repellit
Fronde procùl, tritiſque diù ceſſiſſe lyceis
Imperat, vt Regni totis à ſedibus exul
Toxica in externas ſecum vehat impia terras,
Et defæcatis ſoſpes ſit Francia venis.

Bis

159. *Hæretici, olim militiæ gradibus ſpoliati, nupèr etiam Academiarum magiſterijs, & alijs honoribus priuantur, ac Regno exturbantur.*

Quod

Bis miseri fugiunt, pressat quos agmine mæsto;
Et dolor, & pudor, & damnatæ infamia vitæ,
Et male-suada fames, omnisque in crimine pœna.
Extorres stupidas euulgauere per oras
Conspecti, Gallo quæ sit fiducia sceptro,
Inuictà moderante manu; præstantior vnius
160. *Ante alios* LODOIX Reges, interritus audet,
Quod fuerat voluisse timor, docuitque rebelles,
Dùm iubet, esse suis nil non superabile iussis.
Hìc meritis non meta malis; damna anxia damna,
Et Sectam iusto quassatam turbine cerno.
161. In Superos audax nimiùm Mons Pessulus, armis;
Et

160. *Quod præteriti Reges nunquàm tentarunt, ne sceptrum in discrimen vocarent, exequitur Ludouicus, protestatus se ob Religionem Orthodoxam, vel Regni iacturam non formidare.*

161. *Frustrà hæresi fremente Montis Pessulani, vel Pessuli, Gallicè*, Montpellier, *armatis militibus per vrbem dispositis, hæreticorum templum demolitione sublatum, & refractarij Ministri in carcerem detrusi.*

Præcla-

162. Et Regis pietate tremit; dant templa ruinas
Improba, & effrenis nectuntur vincla Ministris,
163. Exitiumque dolet Caluini elisa propago.
At qui tartareo se subduxere Cerastæ,

Bis

162. *Præclarum est de hac ruinâ Numisma cum lemate:*

TEMPLIS CALVINIANORUM EVERSIS.
M. DC. LXXXV.

Apposita deindè fuit basi Crucis erectæ à Religione inter ruinas templorum illorum, sequens Inscriptio:

SUBLATA HÆRESI; RESTITVTIS ARIS;
PERENNE RELIGIONIS MONIMENTVM
CHRISTO SERVATORI POSVIT.
LUDOVICUS MAGNUS.
1683.

163. *Ad tantæ rei memoriam excusum Numisma, cum hac epigraphe:* HÆRESIS EXTINCTA.

Infrà verò

EDICTUM OCTOBRIS.
M. DC. LXXXV.

Quod sanè edictum funus hæresis fuit in Galliâ, & Religionis Catholicæ Romanæ Triumphus.

Quanta

164. (Bis decies, mirarndum! adimunt ſe millia centum)
Exceptique iterùm Fidei occurrentibus vlnis,
Purgato illapſum vomuerunt pectore virus,
165. Principis impenſis ducunt felicius æuum,
Paſcunturque Deo, multiſque in millibus aurum
Spargitur, & læto ſoboles adoleſcit Olympo.
166. Sic vnà LODOICUS agit Regemque, Patremque,
Pluſque

164. *Quanta porrò multitudo Hæreticorum ad Eccleſiam ſit reuocata, docet Numiſma, in quo Religio Regem coronat his verbis circùm notatis:*

OB VICIES CENTENA MILLIA CALVINIA.
ECCLESIÆ REVOCATA.
M. DC. LXXXV.

Sunt igitur Caluiniſtarum, qui per Regem ad Eccleſiam traducti, bis decies centum millia. Quàm Magnum Ludouici in Fidem Romanam meritum!

165. *Traductis ad Fidem Catholicam hæreticis Rex ſingulari munificentià præſto eſt.*

166. *Ludouicus longè ante ab incremento Artium, & Commerciorum appellatus* Pater Nobilitatis, Pater Patriæ, Pater Populorum. *Poſt*

Plusque Patrem, & mulcet, qua iecit fulmina, dextrâ.
Quàm magnum meriti pondus iustissima Cœli
Libra docet, geminoque dies præcincta triumpho.
Venerat Autumnus, grauidisque à lancibus æther
Dulcia, maturos spargebat, munera, partus
Largior, & torto sudabant *præla* Lyæo;
Cum noua se *fundit laudum* vindemia Regi,
Et *maturato* pubescit gloria fœtu.
Tutamen Latiæ, & vallum insuperabile terræ,
167. Bellonæ mora transalpinæ, arx alta Casalis
Traditur, exerto nec vibrant fulgura ferro,
Nec breuiore tubo plumbi disploditur ira;
Sanguine non emitur Franco, nec funere constat.
Spectaclum,

167. *Post expulsam regno hæresim, Rex Casale obtinet, & Argentinam capit incredibili celeritate, die* 30. *Mensis Septembris, anno* 1681.

Gallorum turmæ partim coccinatæ, partim crocatæ, aliæ cæruleatæ, quędam etiam appictis cadauerum ossibus terribiles, spectante è mœnibus coaceruatà multitudine ciuium, triumphantium more Casale ingrediuntur.

Argena-

Spectaclum, non pugna fuit; multiplice cultu,
Et picturatâ ſplendent in veſte cateruæ.
Jlli puniceo ardorem teſtantur amictu;
Hi pallent fucante croco; pars cærula purum
Ætheris inſtar agunt; pars pictis oſſibus albent,
Et letho ſparſere ſagum, terrentque, placentque.
Non color vnanimis vnus: de margine muri
Pendet mirator ciuis, reſerataque clauſtra
Portarum ſubeunt ludentibus agmina ſignis,
Et placidis belli pompam duxere ſub armis.
168. Axe alio, argenti quæ lumine nomina clarat,
Diues opum, populiſque frequens, dilecta Gradiuo
Jnnumerâ mole, & ferrâto horrore tuborum,
Pugnaceſque habilis per luſtra arcere phalanges,
Franciadûm muros vix obuallante coronâ,
Argen-

168. *Argentina Alſatiæ Metropolis; vrbs cum primis opulenta, numero frequentiſſima, inſtructiſſimo armamentario totâ Europâ celebris, vix obſeſſa in Regis poteſtatem venit, & ex Imperij Libera Ciuitate, dici cœpta Libera Regia Ciuitas.*

Argentina cadit, casuque assurgit in ipso,
Et titulis titulos vrbs Libera Regia nectit.
Borbonio dùm colla iugo supponit, èt astris
Jncipit in Diuûm cultus demittere frontem.
169. Nempè astris, LODOIX, superas, tecumq; triumphat
Relligio, partis semper tua tela trophæis
Victrici Latios *incidunt cuspide ritus.*
En *Pastoralis* lætum se gloria Virgæ
Induit in florem, & tersà vibrat Infula gemmâ;
Fragrantesque inter nebulas venerantis acerræ,
Indigetum stellata nitent altaria Signis,
Albaque placando Cœli calet Hostia Cœlo.
170. Hæc tùm denæ Vrbes vestigia pulchra sequutæ,
Non data colla iugo, caput acclinasse Coronæ
Floriferæ, sparsumque vident sibi floribus æuum.
Turrenus belli fulmen si fulmine molis

Occidit

169. *Ludouicus Romanæ Fidei reparandæ, & amplificandæ studio semper incensus sacros ritus Argentorato inducit, & suę Sedi Antistitem reddit.*

170. *Ad Argentorati exemplum decem vrbes Regi se dedunt.*

Habes

171. Occidit ætatæ, immotus ſtas Jupiter; & quæ
Certa vibres, dextrâ noua ſemper fulmina ſtringis;
Nec iactura tuis ſceptris felicibus vlla;
Quin etiam à mæſtâ Lauri creuere Cupreſſu.
172. Quis ſpeciem illius lucis, quis gaudia fando
Explicet, aut poſſit numeris æquare Triumphum?
Mille

Habes in Numiſmate, cuius hæc inſcriptio:

CIVITATES X. IMPERIAL.
IN DITIONEM GALLIÆ CONCEDUNT.

Infrà verò

FIDES ALSATIÆ.

1679.

171. *Etiam extincto an.* 1675. *trans Rhenum in Alſatia, per ictum bombardæ Tureno, Gallici Martis rarà gloria, Rex tamen, cuius illa vox doloris, & exiſtimationis in Turen; morte* (Helas! Nous auons tout perdù) *eàdem vincendi facilitate, & felicitate, paucis poſt annis, an. ſcilicet* 1681. *totam occupat cum Argentorato Alſatiam.*

172. *Triumphali pompà cum Regina, Delphino, & Delphina inter laureatas acies ſubactum Argentoratum ingreditur.*

Mille inter lituos, pulſataque tympana mille,
Fauſtaque belligeri glomerata tonitrua nitri,
Plauſore & populo, longâque in veſte Senatu,
Jre per inſtructas armis radiantibus alas,
Et geminare diem; palmaſque inſculpere paſſu,
Rhene, tuum ſpectas feſto de gurgite Solem,
Atque triumphales *pontem modò flectis in arcus,*
Qui *Magno ſub* Rege labant; Gangemque laceſsis
Æmulus: Auroræ ſcintillant duplicis inſtar
Reginæ, & roſeo Delphinus Phoſphorus igne.
173. Delphinus Spes Franciadûm, ſoluſque rependens
Fœcundi numerum thalami, primuſque recentes
Regum inter flores; Magni Genitoris imago,
Aureus ingenio, ſimul æreus indole Martis,
Vel tractet calamum dextrâ, vel torqueat enſem;
Grande rudimentum herois, quin floridus Heros,
Dùm Patrem iuuenis *ſequitur* propè greſſibus æquis.
Nec dicto ampullæ: vulgarunt murmura Rheni,
Dùm

173. *Et iure; nam, vt notarunt Aſtronomi, habuit in ortu Cæſaris Auguſti, & Caroli Magni horoſcopum.*

Delphi-

174. Dùm tumidâ, & lauru velatâ nixus in vrnâ
Spectator, longûm tacitis obtutibus haurit
Clara rudimenta, & primi tentamina Martis.
Jllicet oppletos formidine nominis hostes,
Aspectuque magis, nudati & fulgure ferri,
Dissipat irrumpens; campum cessere cadendo
Fractæ alæ, casumque super bissena sequuntur
Cum Philisburgo reseratis oppida portis.
Jnde redit cinctus terdenà tempora Lauro,
Palmarumque refert fasces in munera Patri.
En cui respersus specioso puluere belli,
Dilates, Genitor, patrij diadematis orbem,
Multiplicesque nouo crescentia limite Regna:
Delphinus pretium tamen est insigne labori.

Quin

174. *Delphinus ad Rhenum tunc aquarum vi tumidum à Rege missus, fusis hostibus, Philisburgum expugnat, cuius deditionem sequutæ duodecim Vrbes, Spira, Vormacia, Manheimum, Moguntia, Francondalia, Nouostadium, Crucinacium, Heildelberga, Baccaria, Hailbruna, Bingium, Offemburgum.*

Diuisis

Quin idem tua mox relegens veſtigia, perget
Vincere, poſcenti dùm Tu vincenda relinquas.
175. Olli per celſas, trahit vndè agnomina, terras
Dura catenatæ perrumpens culmina rupis,
Nobile ſternis iter, turmiſque ſequacibus æquor,
Quod victor priùs ipſe premas; procùl aſpicit axem,
Qui propior montanus apex in ſidera creuit.
Fit via vi ferri, rigidumque inflectere diſcunt
176. Saxa ſupercilium Regi; minùs Annibal egit,
Uulcani acciſæ ſtreperis vbi morſibus Alpes
Saxoſæ, ſurdoque acidi ſub dente liquoris,
Obluctante aditu patuere prementibus armis.
177. Vos etiam, Patrij pulcherrima Floris Imago,
Seù

175. *Diuiſis montibus viam per Delphinatum ità planam*
aperit, vt eà facilè cum impedimentis, & bellicis tormen-
176. *tis incedant exercitus, quo ſanè opere Ludouicus decanta-*
ta Annibalis tentamenta in frangendis olim Alpibus longè
ſuperauit.

177. *Dux Burgundiæ, Dux Andegauiæ, Dux Biturigum nu-*
mero, & indole aureà, Gentilitiorum inſtar Liliorum, Ne-
potes

Seù numerum ſpectem, vernans ſeù moribus aurum,
178. Auguſto ſolamen Auo, Speſque alta, Nepotes
Tergemini, aſpergat niueo Muſa vuida rore. (det)
Grãde omen numerus (Numero hoc Deus impare gau-
Maius at omen Auus, qui ad celſa capacibus aptus
Jnſpirare animis animam, & Se condere Magnos.
Creſcite, ſuccreſcent Patruo (ſi tollier vltrà
Summa queunt) ſummi, voluente ætate, triumphi.
Argumentum ingens, numeroſum & carmine in vno;
Eſſe tuos, LODOIX, ſatis eſt dixiſſe Nepotes.
Deſperat Clio, quæ miro in fœdere ſurgunt
Gradiui, paciſque, ſequi; pax fida triumphos
Aggerat, & palmis oleas fœcunda maritat.
In lauros vel caſus abit; de tergore labens

Impru-

potes Magno Auo magnis facinoribus futuri ſuppares arguuntur.

178. *Auguſti nomen attributum Ludouico, dum eſſet Lugduni, hac Epigraphe propoſitâ:* L'Autel de Lyon conſacrè à Louis Auguſte. *Eratque alluſio ad celebre Altare, de quo Suetonius, & Iuuenalis, dedicatum Auguſto.*

Non

179. Imprudentis equi, feliciùs omina captas
Cæsaris, in Lybicâ cecidit dùm pronus arenâ,
Et duplicem lapsu signas victoris honorem,
Quo Padus, & famuli tumuerunt flumina Rheni.
180. Piratas miror Leptis, quos patria durant
Æquora, & audaces cognata pericula fingunt;
Algeriumque tumens socij magè gurgite ponti,
Uni animos posuisse Tibi, LODOICE, superbos,
Signaque

179. *Non multò ante adeptionem Casalis, & Argentorati deditionem, Rex fallente equo labitur in argumentum, & omen victoriæ, vt olìm Iulius Cæsar, qui Africano in littore procumbens, ac si casus ipse sufficeret augurium armis suis felix, exclamauit:*

AFRICA, TE TENEO.

180. *Piratas Tripolis, & Algerij Mediterraneo Mari terribiles gloriosis Gallico nomini conditionibus ad pacem, & obsequium cogit. Extat Numisma cum hac epigraphe:*

CONFECTO BELLO PIRATICO:
AFRICA SUPPLEX.
M. DC. LXXXIV.

Extat

Signaque Floriferis ſubmittere turgida ſignis,
Et pacis, quamcùmque velis, ſubſcribere legi.
Scilicet aeream timuere à puluere ſtragem
181. Nitrato, quam ſphæra tonans diſpergit in vrbes;
Et timuere ſimul Francis prædantia roſtris
Roſtra obluctari, quæ ſueta laceſſere proras
Chriſtiadûm, glaucique Jouis pugnare tridenti.
Tantus in auguſto LODOICI eſt nomine terror.
182. Tunc èt faſſa tuæ vim claſſis barbara claſſis,
Dùm congreſſa minax, retròque repulſa, nec ipſo
Portus tuta ſinu, ferratum faucibus ignem
Liligeri vomuere tubi (mirabile viſu!)
Undanti fumant diſperſæ funere puppes;
Fuſca natant membra, & Mauruſia præda per vndas.
Doride

181. *Extat Numiſma his verbis notatum.*

ALGERIA FULMINATA.
M. DC. LXXXII.

182. *Piratas inſecuta Claſſis Regia ad bellicorum iactum tormentorum in Chio portu ſub Turcarum oculos fulminat. Indè nauibus tutum commercium.*

O Diutur-

Doride Mulciberi pulchro ſic fœdere junctà,
Libera ſecuris patuerunt æquora velis.
183. Jpſa etiam neglecta Tibi Victoria ſeruit,
Viſaque conſpicui ſpecies vernare triumphi,
Proiectâ victor, dùm mittis vincere, palmâ.
Urbs valli præſtans, complexaque nomine lucem,
Perpetuis operum *vinclis*, *vigilique coronâ*
Septa *tenebatur*, Gallo vndique, & vndique Gallo
Præcludente vias, nullique incincta patebat
Auxilio, patienſque diù ferrique, famiſque
Ad caſum raros numerabat perdita ſoles.

Regem

183. *Diuturnam Lucemburgij iam iam caſuri obſidionem Rex vltrò ſoluit, amore pacis, & Chriſtianæ Reipublicæ, cui à Turcis imminebat periculum.* Fece il Rè l'anno 1682. inueſtire, e bloccare Lucemburgo; má ne fece poi ritirare le ſue truppe, proteſtando di fare ciò per dare agio al Ré Cattolico di ſoccorrere l'Jmperatore, contro il quale ben ſapeua prepararſi la guerra del Turco. *Ità Co: Alphonſus Loſcus Compend. Hiſtor.* delle Caſe Regali di Francia.

Idem

Regem vrgent Reges; immoti clauſtra reuellat
Martis, & occluſis ſint libera ciuibus arua;
Ni faciat, noua bella ſeri; fixumque paciſci
Fœdera, & in Gallum concordibus ire cateruis.
Tu magis obniti contrà, ſecure minarum,
Et glomerare acies, & cingere fortiùs vrbem.
Flexit amor pacis, meliorque in pectore cura,
Quem nullæ ſceptrorum artes, vis nulla moueret.
Soluitur obſidio; longamque repentè procellam
Diſcutis, atque vltrò Belgas, Auguſte, ſerenas;
Ne dum Threijciæ maturant bella phalanges
Collectæ, & ſacro luſtratis rore minantur
Urbibus, enerues, diuiſo robore, turmæ
Chriſtiadûm Iſmarijs dent colla trementia loris.
O' pietas! ò damna ipſis potiora triumphis!
Plus vernat Regi, cum credita laurea Chriſto;
184. Ipſaque Borboniæ, quæ perdita, gemma Coronæ
Iuncta dein, multà iacturam luce rependit.
Sic

184. *Idem Lucemburgium Rex poſtea maiori cum gloria expugnatum obtinuit.* 1684.

Sic largo redeunt cum fœnore tradita Cœlo.
185. Nec tu concideres Lunari erepta Tyranno
Buda, nec Austriaco floreres subdita serto,
Ni Iosue alterius penderent tempora nutu
Bellica, & in proprio Sol staret Gallicus axe.
Regibus hæc fuerint exempla notanda futuris;
Plura vnus pariter *Regni* documenta relinques.
186. Prima *facit* Regem pietas; quàm pectore regnet
Illa

185. *Anno 1686. Armis Leopoldi Cæsaris, & armistitio Ludouici Magni Buda capta; quod speciali Numismate expressum cum hac Epigraphe:*

ME STANTE TRIUMPHANT.

Allusio est ad Solem in corpus Impresiæ assumptum, & ad Iosue, cuius imperio Sol stetit ad victoriam. Ad calcem Numismatis hæc incisa verba:

L. ARMIS, ARMISTITIO L. BVDA CAPTA.

1686.

186. *Grassante paucis ab hinc annis per Galliam fame, missis impigrè nauibus in Septentrionis oras, quæ vim magnam frumenti asportent, publicam leuat calamitatem; quod & antea*

Jlla tuo, docuit vitium telluris auaræ,
Cum malèsuada fames, latè squalentibus aruis,
Pergeret elumbes Regni depascier artus
Crudelis, sortem penito miseratus iniquam
Corde Pater, cita rostra iubes per torpida ponti
Arctoi gelidis validûm certare periclis,
Optatam & Cererem Septem properare trione.
187. Nec minùs in miseros pronum testatur amorem
Clementes tristis clamor, qui verberat aures,
Vinclorumque sonus, ferit & qui lumina squalor
Captiuus; sentis: & tactus pectora luctu
Implorantis opem duro sub verbere turbæ,
Formidatà audaci Afro, & prædiuite dextrâ
Bis

antea præstitum anno 1662. vt habet Numisma cum hac Epigraphe.

FAMES PIETATE PRINCIPIS SUBLEVATA.

Tunc enim iussu Regis distributiones in Populum rei frumentariæ, & cocti panis factæ.

187. *Duplex Regię pietatis in Captiuos Numisma inuenio: In vno strenuitas, Captiuis comitantibus, obijcit Medusæ caput*

Bis Pater, ærumnâ vitæ mortalis acerbâ
Eximis, æternæ ſimul & diſcrimine vitæ.
188. Te Rege, exilio ſcelerum damnata propago;
Unca manus, lethique faber, ciuilis erinnys,
Dedidicere datis damna exitialia pœnis.
Experti vltorem, qui condere toxica docti,
Arcano tacitam paſcebant funere bilem,
Spargebantque feri ſurdas in viſcera mortes.

Quæ

put Algerino piratæ, & Regis minas intentat, vt Mari captos reſtituat, cum lemate:

CIVES A' PIRATIS RECUPERATI.

Et infrà:

ALGERIA FVLMINATA.

M. DC. LXXXII.

In altero redempti Captiui genu flexo antè Regem expreſſi cum epigraphe.

CAPT. EX AFRIC. CATASTIS REDEMPTI.

M. DC. LXIII.

188. *Sontes omnes, & præſertim veneni artifices, ſupplicijs affecti.*

Eximium

Quæ fert lethiferum, non eſt clementia, crimen,
Barbariemque ſapit; ſcelus eſt ſeruare nocentes.
Impius eſt Princeps nimiùm pius; ardeat irâ
Vindice, ne plures perimat, dùm parcitur vni.
Conſilio cunctis, celſo vt diademate, præſtas;
Et tamen aure bibis cupidâ conſulta Miniſter,
Quæ tibi delectus prudentùm è millibus offert.
Atque vbi collimant, ſapiens deflectis in vſus;
Nec pudet & radio alterius tua ſenſa moueri.
Non ſemper, quæ fixa, iuuant; mens neſcia flecti
Naufragio affinis: Rex ſceptrum, vt nauita clauum,
Torqueat, aſpirant dum venti, & ſidera monſtrant.
Cum properare iuuat, currunt pede facta citato:
Cunctandum? lento ſignas veſtigia greſſu.
Tempora diſpenſas rebus; nec cura quietem,
Nec prolixa quies iugulat ſub pectore curas.
Quæ peragenda priùs, veniunt èt prima, nec vrgent
Sollicitas poſtrema manus; ſeriemque ſequuntur
Maturata ſuam: pulchro ſtant ordine Regna.
Rerum anima arcanum eſt; longûm digeſta ſub imo
Corde tegis, viſura diem, ſed tempore certo.
Prouentus, Regni neruos, ne incuria laxet,

Morſibus

Morſibus aut minuat tacitis illapſa cupido,
Aduigilas, pauidoque vigil tutaris ab vngue.
Tu fortunati venerabilis Idea ſceptri,
189. Mente Numam, priſcumq; Oſtrum moderamine vincis.
190. Jndè ſuà ne mole ruant vidua extera regna,
Conſilio, & dextrâ, atque inflexo robore mentis
Suſtentanda tuæ nutantia pondera fidunt,
191. Atlantem teſtata nouum: ſtat Suecia teſtis.
Tutari populos communis gloria Regum eſt;
192. Cum ſceptris Reges vna eſt tua fama tueri.
Omnibus, vt Titan, radijs felicibus ardes;

Sed

189. *Eximium Ludouici regimen, Numa, & Priſcorum Regum normà præſtantius.*

190. *Oblatam Sueciæ tutelam Rex ſuſcipit.*

191. *Per Numiſma præſertim, in quo Gallus Globo Crucifero inſidens, cum lemate:*

SVB VMBRA ALARVM.

In medio Globi extat hoc verbum:

SVECIA.

192. *Id leges in peculiari Numiſmate, cuius verba:*

OB

193. Sed primùm Regni Proceres, qui sidera Regni,
Et Regum sertis parituræ lumina gemmæ
Luce

OB SVECVM, ET HOLSATVM ARMORVM VIRTVTE, AC FIDE EXIMIA IN INTEGRUM RESTITVTOS.

193. *Symbolum Ludouici proprium, & ab ipso pre alijs sibi lectum, Sol est, quem praclarà gubernandi ratione redat. Hinc omnes ferè Impresiæ à viris doctis in laudem Regis excogitatæ, Solem in corpus assumunt; vt videre est apud P. Menestrier Histoire du Regne de Louis le Grand.*

Ego pariter Par Impresiarum excogitaui, quibus exornarem thecas exemplaris, quod Regi obtuli. In altera Sol erat inter nubes disiectas cum lemate ex Claudiano:

NON JMPUNE VIDENT.

Allusio spectabat ad clades hostium, qui se Ludouici bellicis progressibus obiecerant.

In alterà item Sol exprimebatur nubibus circumuallatus subiectà epigraphe:

CLARIOR OPPOSITU.

194. Luce nouâ irradias: gemino venit Ordine fulgor,
Hunc fouet auſpicio Spirabile Numen, & illum
Spiritus alter alit Michael; Moderator vtrique
Præſidet, & Magni Rex gemmam nominis addit.
Quiſque ſuâ ſub torque micat, quæ pendula collo
Teſſera virtutis, merceſque decora labori
Emerito

Cum alluſione ad nupera bella, quæ maiorem, quàm anteà gloriam Regi crearunt; dum in ſe vnum coniuranti Europę multiplici Victoriâ clarus obſtitit.

194. *Ludouicus Rex ſacratus Ordinem S. Spiritus, & S. Michaelis, quorum Caput ſupremum eſt, ſuſcipit, ſimulque Duci Aureliani vnico Fratri confert. Subinde etiam Prælatis octo, quos Commendatores creat; Principibus quatuor Regij ſanguinis; Magnatibus quinquaginta ſex præſignibus; quorum nomina, ſi lubet, lege in libro P. Meneſtrier ſupra cit. Anno verò 1682. Delphinum etiam in eoſdem Ordines meritiſſimò cooptat. Ordinis porrò S. Michaelis Reſtaurator fuit Ludouicus XIV. Magnus an. 1664. cum iam à prima gloria ab Inſtitutore Ludouico XI. an. 1464. acceptâ, excidiſſet, quia plus iuſto, & citrà meritum numeroſus.*
Ordinem

Emerito; & donum magis à Donante coruſcum,
Immenſumque altis animis ad grandia calcar.
195. Tertia Nobilibus ſudantis gloria ſceptri,
Lecti Equitis, ſacriſque armis ſpectabilis Ordo
Inſtaurande venis, cui pulchrâ ab origine iunctim
Lazarus, & Solyme palmaria nomina donant.
Extincto ſplendore iacens ſine laude cadauer,
Jndè reſurgendo menſuram nominis imples,
Acceptamque refers Regi ad ſublimia vitam.
196. Ditandi par cura ſimul ſub pectore Regni;
Quòque magis patriæ peregrinis mercibus auctæ
Expatien-

195. *Ordinem etiam militarem S. Lazari Hieroſolymitani reſtituit. In id cuſum Numiſma, verbis circumſcriptis:*
ORDO MILIT. S. LAZARI HIEROSOL. RESTITVTVS:
Infrà verò:
REGE ASSERTORE, ET SVMMO DVCE.
M. DC. LXXII.

196. *Publico Regni bono Rex Societatem ad commercium Indiæ Orientalis inſtituit, Priuilegijs ornat, ſigillo donat, in quo Lilium Aureum cum lemate:*

 FLO-

Expatientur opes, Neptunia fœdera firmas
Flore tuo; ratibusque datis, quæ mole tonanti
Cæruleum tutentur iter, cogantque remotas
Floriferum timuisse Iouem per fulmina gentes,
Ad noua lucra nouo reseras commercia Mundo.
Cùm timeat, sic Francus amat, nutritque timorem
Fidus amor; facilis *Maiestas pectora mulcet*,
Ingenij *nota pulchra* tui; si crimina punis,
Pronior inuitas sequitur clementia pœnas.
Præmia diffundis largus, meritisque locantur
Munera, non precibus; titulisque negantur auitis.
Sola tuam inclinant virtutis pondera libram.
Iustitiæ proba norma redux; Tibi certa capaci
Spontè Themis lances patrio delegat ab axe,
197. Et IUSTI appingit primis vocabula lustris.

Sed

FLOREBO QVOCVMQVE FERAR.
instructis nauigijs armat, in quibus tormenta bellica cum hac epigraphe:
JOVEMQVE NOVO TESTABIMVR ORBI.
197. *Ludouicus à tenero IVSTVS dictus.*

Magni

Sed Tibi, dùm crefcis, maiora èt nomina crefcunt.
198. Magnus vbiq; audis, Magnum Te pagina vulgat
Doctior,& Magnum fculpta æra,& marmora dicunt.
At Magnum in primis populofa Lutetia, Mundi
Grande inftar, fufpectat ouans, vbì multa renidet;
199. Et nomen plateæ meritum Victoria donat.
Namque ibì, cancellis circùm pallentibus auro,
200. Spectaclum mirante die, miranteque nocte

In

178. *Magni nomen fibi parit Ludouicus; quod porta omnes Lutetiæ, & publica opera præferunt; Sed infignitèr Obelifcus ex Granito Ægypti, altus 36. pedes, latus 7. in bafi. Hic Arelate repertus, & iuffu Caroli IX., & Catherinæ Mediceæ effoffus, tandem ad Ludouici gloriam erigitur an. 1676. 20. Martij. In eo leges quatuor infcriptiones ftylo latinè mundo, & graui; præfixo hoc titulo.*

LVDOVICO MAGNO.

199. *In Parifienfi Platea Victoriarum Francifcus Vicecomes Daubuffon Dux de la Feuillade publicum Monumentum erexit gloriæ Ludouici Magni an. 1686.*

200. *Triumphale Plateæ Theatrum noctu etiam oculis patet*

In vitro vigiles oculatà ad lampadis ignes
Quadruplicis, celsoque accensæ in frigore saxi,
Magna, tamen dispar, aperitur scena triumphis.
Victricem aurato pompam spirante metallo,
Proni hostis, vincti signa inter, fusa perito
201. Vulcano, stantem Regem, & qui vertice supra est
Laurigero, (sertum famulans Victoria librat)
Ex vero conflata stupet reuerentia: credas
Vel simulacra loqui Magnum, atque expertia sensus
202. Victoris legem, & dextram sentire potentem.

Non

tet per faces quaternis sphæris amplis vitro interstinctis occlusas, quas marmoreæ columnæ suis locis dispositę sustentant.

201. *Auratos inter cancellos Simulacrum Regis ex solido ære, altum sexdecim pedes assurgit, quod coronat Victoria. Quatuor in basi ex candido marmore captiuorum statuæ item æreæ, quinque pedes altæ, statu ipso Victorem videntur fateri; additis trophæis, signis minoris eminentiæ, & Inscriptionibus Regia decora exprimentibus.*

202. *Ad Regis Magni potentiam dominatricem exprimendam splen-*

Non donata Tibi Vox, ſed virtutibus empta,
Inferior pretio ſonat vſquè, & languida laudat.
Nominis à Magni ſonitu creſcente per Orbem
Moti apices Equitum claris ex vrbibus ardent
Liligeram penetraſſe Aulam, quò lumina paſcant
Miraclo Regum, & coràm maiora tuentes,
(Vt terris olim veniens Regina Sabæis,
Spectatrix famam carpſit Salomone minorem,)
Famæ indignantur, quæ ſic decreſcit eundo.
203. Parua ſequor; Reges ipſos par ſuſcitat ardor.
Vicinis cerno, procul atque à Regibus oræ
Monſtriferæ, gelidoque ſimul diademate Moſchi;
Quin

ſplendida eſt Impreſia apud Claudium Meneſtrier, Hiſtoire dù Regne de Louis le grand, ad calcem Introductionis, vbi proponitur Sol radians, cum lemate:

TERRA, MARIQUE POTENS.

203. *Reges Marochij, Fezze, Algerij, Siani, Guineæ, & Moſchæ Dux Magnus miſſa legatione Lutetiam, triumphos belli, & pacis per Oratores ſuos Ludouico gratulati, amicitiæ fœdus precantur.*

Iacobum

Quin & combuſtæ æternùm de margine Zonæ,
Barbarico luxu, gemmiſque, auroque decoros
Tecta Oratores Aulæ ad ſublimia ferri,
Primorum populo, & florenti vndantia Marte,
Qui Regem imperio, & famà ſuper æthera notum
Suſpiciant, doniſque colant, & fœdera poſcant,
Gratati ignotâ numeroſos voce triumphos.
Uſque adeò virtus èt barbara pectora tangit.
Tùm reduces ſparſere ſuis miracula Regnis
Viſa; ſupercilio accipiunt narrata repreſſo,
Propoſitâque ſilent Reges in Imagine Regis.
Geſta probant Magnum cantata; at nupera Magno
Maiorem, ſuperantque fidem; non credita Mundo,
Ni tua conſpirans tentaſſet robora Mundus.
204. Extorrem in Regem ſparſo magê largus ab auro
Hoſpes

204. *Iacobum Regem Angliæ Catholicum cum Regina, & parvulo Principe Vualiæ, ſeù de Gales Regno profugos hoſpes munificus excipit, & magnis impenſis multos annos ſplendidiſſimè tractat, conatus Anglis reſtituere Orthodoxam Fidem, dùm Regem reſtituit.*

Fœdere

Hoſpes, & externi cuſtos vigilantior Oſtri,
Quò redimas Latià diuiſos Sede Britannos,
Atque aris repares cultum, Petrique Thiaræ,
205. Totius Europæ, ſecum nil tale putantis,
Collectæ Europæ obnitentibus obuius armis
Solus, & oppoſitam magê firmus diſtrahis vndam.
206. Umbrant vela diem, atque immani corpore puppes,
Millenæ puppes laſſatam Dorida preſſant,
Anglorum, & Batauûm numeroſa ruina carinis.
207. Nec terror tellure minor; vexilla ſub axe
Formidata

205. *Fœdere Auſburgi facto contra Ludouicum tota conſurgit Europa, quem putabat, non à Religionis zelo, ſed à Politica armatum.*

206. *Sola perſona nautica numerum implent ſexaginta millium, ex quo conijcere eſt Regiarum claſſium multitudinem, & potentiam. Hanc ſæpius non vna clade experti in naualibus pugnis Angli, & Hollandi.*

207. *Tenuit Rex ſub ſignis ducenta, & quadraginta millia peditum, & ſexaginta millia equitum, exceptis Claſſiarijs, eam pacem Europa dedit anno* 1678. *vt notauit Meneſtrier,*

 Hiſtoire

Formidata micant vario, timidosque fatigant
Auro vndante Notos; tentoria didita campos
Eripiunt buræ immensos; mortesque Gradiuo
208. Maturante ferunt; strages haud hostibus vna
Pullulat; effractis nec casus in arcibus vnus.
Oppida

Histoire du Regne de Louis le Grand. In hoc autem postremo multorum annorum bello numerauit ad quadrigenta millia armatorum, præter nauticas personas, & Classiarios, de quibus sup.

Certè ad Regni confinia tutanda meruerunt stipendia singulis mensibus persoluta, centum quadraginta millia peditum, & triginta millia equitum. Excusum proindè Numisma, in quo legas:

ADSERTORI SECVRITATIS PUBLICÆ.

208. *Multis vbique prælijs victor, in Pedemontio cæpit Secusium, Carmagnoliam, Saulianum, Moncalerium, &c. In Nicensi Comitatu Niceam cum arce inexpugnabili, & Monmelianum cum tota Sabaudia. In Catalaunia Gerundam, Rhodam, Barchinonem, &c. In Belgio Montes, Namurcum, quorum expugnationem Rex præsens maturauit &c. In Germania*

Oppida victorem senserunt nescia vinci,
Namurcum, & Montes, par insuperabile, dextræ
Duplex fama tuæ; terrâque, marique timendus
Palmas vsquè metis; ferroque metenda potenti
Plura super, pacis ni ferrum obtunderet ardor,
Et

mania cum Palatinatu Rheni, Augustam Treuirorum &c. Pro Victorijs Ludouici vniuersim exprimendis procusum Numisma, in quo tormenta bellica, positâ supernè coronâ, cum lemate:

VICTORI PERPETVO.

Infrà verò.

OB EXPVGNATAS URBES CC.

Annus porrò 1690. tribus victorijs memorabilis fuit; prima fuit ad Fleurum 1. Iulij. Secunda ad Staffardam 18. Augusti. Tertia ad Beuesen 10. Iulij. In mari etiam victor fractis simul Anglis, & Hollandis, eorumque nauibus magna ex parte, aut incensis, aut demersis. Tot clarus victorijs, & progressibus; tot copijs, & quidem veteranis firmus, ærarijs nunquam deficientibus, re, & nomine verè Magnus pacem Europæ donat anno 1697.

Et Regni melior fortuna, haud cognita vulgo.
Rex non viſa alijs ſolio proſpectat ab alto.
His LODOIX ſtimulis vnus ſe exarmat ouantem,
Atque arces latè Victor, terraſque ſubactas
Spontè offert, palmiſque volens confinia ſignat.
Te quoque, poſt victos hoſtes, ſic vincere diſcis.
Sit laudaſſe ſatis, *fruſtrà voluiſſe, fateri.*
Jnnumeros hæc cura coquet; ſed paupere ſemper
Carmina langueſcent venâ, meditataque ſceptrum
Muſa tuum, & lentis rauca hiſcent barbita chordis.
209. Aurea, quæ Magnos Francis in Regibus ætas
Heroas tranſacta tulit, Caroloſque ſuperba,
Pipinoſque, Henricoſque, & ſata nomina palmis
Vel Graio, Latioue ſolo, multoque ſub axe
Annumerat, luſtriſque diu mirantibus offert,
Sentiet à Noſtrà inuidiam; venturaque longùm,
Ut ſimilem cudant, ſudabunt ſæcula Regem.

At

209. In hoc Operis calce, ingenuè vt dicam, Regum ab Orbe condito reperio neminem, cui Ludouicus Magnus ſecundus ſit; immò ſi huius decora, non diuiſa, ſed collecta perpendo, omnium Primum fateri cogor. Tu dictum factis penſa, & candidum mihi calculum, & Ludouici gloriæ adijcies.

210. At si præteritum recta est mensura futuri,
Nec Potior, nec Par effœto surget in Orbe.

210. *Inter ducentas Vrbes à Ludouico expugnatas (Tot, ac tales, tam citò, & tanto opposito hoste, nemo adhuc, quod legerim, expugnauit, nec expugnaturus præterito arguitur) Montes, & Namurcum primas tenent, de quibus pag. anteced. 123. Pro his duo procusa Numismata inuenio; In prima fronte alterius Numismatis cernitur Imago Regis, his verbis in gyrum ductis:*

LVDOVICVS MAG. GALL. REX
P. F. A. P. P.

In aduersa fronte Ciuitas Montium genu flexo expressa Regi offert claues; Victoria buccinante, & eam Palma Coronam sublata manu præferente; lema deinde circumscriptum:

GIGANTEOS SIC FULMINAT AVSVS.

Infrà

MONTIBVS EVERSIS
IX. APR. M. DC. XCI.

Alluditur ad nomen Vrbis Montium, & ad tentamenta Gigantùm contra Iouem, à quo, diruptis montibus, fulminati.

 Incisa

Incisa præterea sequens Inscriptio:

MONTIVM URBS
BELG. MVNITIS. HAN. CAPVT,
MENSE MART. A LVD. M. OBSESSA,
ET JNTRA XVI. DIEM EXPUGNATA,
CONSIL. HAGÆ C. MALE CONIUR, PRIN.
ET ARAV. PR. MINACITER ADVOLANTE
VICTORI LAVDEM, ET OPTATVM
PERACTIS JMPERIJS DECUS
ARROGAVIT.
M. DC. XCI.

In alterius Numismatis prima fronte Effigies Regis spectatur, his verbis circumnotatis:

LVDOVICVS MAGN. GALL. REX
PIVS. AUG.

In aduersa fronte Namurcum repræsentatum per Mosam, & Sabim, quos centena armatorum millia explicatis sub signis immota suspiciunt; Regi interim Victoriâ Palmam, & Coronam afferente; circumducto hoc lemate:

AMAT VICTORIA TESTES.

Infrà verò:

NA-

NAMVRCVM EXPVGNAT SPECTANTE
AVRIACO, ET BAVARO CVM
CENT: ARMATOR. MILLI.
XXX. IVN. M. DC. XCII.

Moneo deniq; fauere assertioni 209. & huic postremæ 210 de Ludouici Magni summa præstantia, simulq; vniuerso Operi meo preclarum ex argento Numisma, in quo speciosissima hęc Inscriptio legitur:

LVDOVICO MAGNO
RELIGIONIS VERE ASSERTORI
VITIORVM STRENVO VINDICI
JVSTITIÆ MODERATORI
SEMPER MAGNO
SEMPER FELICI
TRIVMPHIS MILLIES JNSIGNITO
CVI NEC VIGET QVICQVAM SIMILE
AVT SECVNDVM
M. DC. LXXVIII.

Sed inprimis fauet, & paucis omnia complectitur, præsignē Numisma apud P. Menestrier, Histoire du Regne de Louis le Grand, in cuius prima fronte Ludouici effigies

laureata

laureata spectatur; in altera Sol cum lemate, quod et mihi de Ludouico Magno scribenti scopus fuit:

NEC POTIOR, NEC PAR.

FINIS.

Additamentum Authoris In plenioris, limatiorisque Operis Editionem.

In Epistola ad Regem, vbi de illius præstantia inter Heroes *primæ famæ, post illa verba;*

Maiorem Alexandro Magno:

Addat. Fabio Maximo.

Et infrà, vbi de conglobatis eiusdem illustrioribus gestis, post illa verba;

Tot, tantosque titulos excedunt, ne dum æquant:

Add. Victoriȩ prȩsignes plus quadraginta collato ferro partȩ.

Deindè immediatè

Add. Ducentæ amplius Urbes captæ, quarum sexaginta quinque vno, maturatoq; vltra fidem posteritatis Hollandico bello, sub iugum missæ; plus ducenta, & decem oppida &c.

Et in altera eiusdem paginæ fronte propè finem, post illa verba:

Profusa in literatos homines, & industriosos artifices,

Add. In strenuos milites, & copiarum Duces emeritos præmia;

Et paulò infrà, post verba;

Seminaria Militaria vrbana, & marina excitata:

Add. Equitum amplissimi Ordines, quà illustrati, & instaurati, quà fundati ad heroicæ virtutis inuitamentum.

Pag. 23. *Vbi de restituto ad pristinam gloriam, & potentiam Imperiò Gallico, post carmen*

Martia debellat virtus, ac fulminat arces.

Add. Francorum Fabius ter Magnus restituis rem,

Et bis restituis; geminat properantia factum.

Nota addat.

Fabius Maximus cunctando restituit rem, *vt canit cum Ennio Virgilius:*

Ludouicus statim; & bis dat, qui citò dat ex diuerbio.

Pag. 25. *Not.* 29. *ad calcem, vbi de exercito milite, post verba: diu exercitatus;*

Add. De hoc extat Numisma circumscripto lemate:

PROLVSIO AD VICTORIAS.

Infrà DISCIPLINA MILIT. RESTITVTA

M. D C. LXV.

Pag. 28. *nota* 32. *Vbi de captis vrbibus Hollandicis; post illa vltima verba; Betauia Insula &c.*

Add.

Add. A Coronello serie Chronologica Actionum Illustrium Ludouici Magni, in hoc vno bello maturissimè confecto sexaginta quinque recensentur.

Pag. 30. Vbi de celeritate victoriarum Ludouici, post illud;

pede fortia gesta
Solis eunt, palmæque breues nascuntur in horas.

Add. Maturata sile Pompeio prælia, Tulli;
Mista vides subito bellorum exordia fine.

Nota adda. Dixerat Tullius: Tam difficile bellum Pompeius extrema hyeme apparauit; ineunte vere suscepit; media æstate confecit.

Notæ deindè 35. vbi de Regis victorijs, propè finem, post illud;

Regi Inuictissimo M. DC. LXXIIII.

Add. His adiunge, quæ à Coronello in sup. cit. Serie Chronologica Actionum illustrium Ludouici Magni numerantur; pariter quæ à me pag. 122. not. 208. recensentur, & inuenies super quadraginta illustrioris notæ victorias collatis signis patratas.

Præterea post eiusdem Notæ 35. extrema illa verba: plura, vbi de nupero bello;

Add. sed præsertim pag. 50. not. 65. vbi fusim, & dispositè tum de victorijs, tum de captis vrbibus per Ludouicum.

Pag. 34. Not. 40. post verba: contemptione periculorum &c.

Add. De Militari peritia Ludouici, P. Meneſtrier Hiſtoire du Regne de Louis *le Grand, pag. 56. hæc habet:*

Par les frequentes reuûes de ſes Troupes il forme des Officiers, aguerrit ſes Soldats, & s'eſt rendu lui meme tres habile dans la Science Militaire

Pag. 36. Ad carmen quartum;

Quin etiam aduerſæ ſpreta formidine ripæ,

Nota adda. Rheni tranſitus, qui fluuius Germaniæ, poſt Danubium maximus, longè glorioſior Ludouico Magno, quàm Granici vadoſi trangreſſio Alexandro Magno, cui mollis Perſa, non Batauus ferox oppoſitus.

Pag. 40. ad calcem Notæ 48. vbi de Hollandis ſubſidium ab Oceani exundatione petentibus; poſt illud verbum; intercludunt:

Ad. In hanc rem monumentum æreum, Gallicè Jetton, *reperies apud Meneſtrier, in quo Achelous ab* Hercule *victus ſe in fluuium abdit, cum lemate:*

TRVNCVM CAPVT ABDIDIT UNDIS.

Infrà 1673.

Pag. 45. Vbi de Rege Francorum Turcam profligaturo, poſt carmen primum,

Fulguret aſſurgens inter tua Lilia victrix;

Adda. Liliaque aſſertæ palmis nectantur Jdumes.

Et poſt carmen quartum:

Ceſſuras

Cessuras Gallo, quà rugit Bosphorus, arces,

Adda. Sanctumque auricomo spargendum flore Sepulchrum.

Pag. 48. *Vbi de Regis zelo in propaganda Christi Fide, post carmina:*

Jre vrges Fidei, qui spargant semina terris
Jncultis, & læta seges flauescat olympo :

Add. Sic Reges inter, Christi qui signa sequuntur,
Et Primus genitus, Fidei nec amore secundus,
Mensuram ter Christiadæ benè nominis imples,
Et paris acceptum Maior Maioribus hæres.

Pag. 49. *Vbi de Ludouici pietate, post illud in tertio carmine:*

Sub niueo tectum colis orbe Tonantem
Assiduus,

Add. Tibi decretis, qui solibus esca
Cœlestis, fundisque preces &c.

Deindè post finem notæ 63.

Add. Atque eandem S.S. Eucharistiam statis temporibus religiosissimè sumit.

Pag. 50. *Not.* 65. *post illa verba:*

VICTORI PERPETUO
OB EXPVGNATAS URBES C.C.

Add. Percurre singulatim Ludouici Magni illustriores victorias, quarum hic seriem, ad faciliorem intelligentiam

vulgaribus passim Regionum vocabulis, notatisq; temporibus subtexo, & intelliges, quàm citra adulationem sit triumphalis hæc appellatio.

VICTORIS PERPETVI.

Sunt autem

De Rocroy, e Cartagena.	1643
De Donachin.	1644
De Llorens, e Nortlingue.	1645
In Mediterraneo plures.	1647
Ad Augustam, Lens, & Cremonam.	1648
D'Exeaud.	1649
De Bar.	1650
De Buceliers.	1651
Presso Bormida.	1654
De Senef, Seinsheim, e Buperay.	1674
In Hollandia plures.	1672. 1673
De Mulhausen.	1675
In Mari Siculo.	1675
In conspectu Panormi.	1676
De Cassel. }	1677
In Tabago. }	1677
De Rhinfeld.	1678
De Caluinistis, vulgò Barbetti.	1686

De Piratis

De Piratis Algeriae. 1689

De Anglis, & Hollandis nauali praelio. } 1690
A Flerus, Staffanda, et Beuesen. }

Iu Neruuind. 1693

Della Marsaglia. 1693

In transitu fluuij Fer in Catalaunia &c. 1694

Porrò ex ducentis, & amplius Vrbibus captis (nam post cusum Numisma supra citatum, aliae multae expugnatae) in gratiam studiosorum Chronologiae quamplurimas, notato anno, exhibeo, vulgaribus vocabulis.

Hedin. 1639

Aire. 1641

Collioure, e Perpignan. 1642

Villa N. d'Asti, Pontestura, Trin, Tionuille. 1643

Cittadella d'Asti, e Santia. 1644

Tarragona. 1644

Magonza, Spira, Filisburgo, Grauelines, Bariseta. 1644

Vigeuano. 1645

Bettune, Linck, Bourburg, Dinckesphel, Armentiere. 1645

Menin, Roses, Motta, Portolongone. 1645

Courtray, Bergues, Mardick, S. Vinox, Piombino. 1646

Bassè, Lins, Dismunda. 1647

Furnes, Ipri, Rossel, Tortosa. 1648

Città,

Città, e Cast. du Pont de l'Arche. Castelli di Prouen, Caen, Dieppe, Ligny, Guise, Bellegarde, Fort du Polet, & Cittad. di Clermont. 1650

S. Nicolò della Rocella, Cittadella di Mircourt, Chatti. 1551

Rhodes, S. Menehoud, Sainctes. 1652

S. Menehoud, Bordeaux, Veruins, Cadilhac, Reole, Langon, Lormont, Bourg sur Mer, Rethel, Commercy. 1653

Arras, Puicerda, Clermont, Castel Mare. 1654

Capo di Quiers, Castillon in Catalogna, Landrey, Condè. 1655

Valenza su'l Pò, la Capelle in Tirasche. 1656

Mont Medy, S. Venant sur le Lis. 1657

Doncherken, Dismunda, Mouzon, Ipri, Menin, Oudenarde, Mortara. 1658

Stenay. 1659

Linchamps, Rocroy. 1660

Armentiers, Monte, S. Vibert, Oudenarde, Lilla, Forte Caiena, Isola Antigoa. 1667

Vrbes omnes Burgundiæ, Gand, Burges. 1668

Vrbes, & arces sexaginta quinque in Hollandia paucis mensibus. 1672

Vna, Mastricht. 1673

Mulhause

Mulhausen, *Dole*, *Nauegnes*, *Argentau*, *Erkelens*, *Pesme*, *Beffort*, *Gray*, *Besançon*. 1674

Agosta, *Dinant*, *Limburgo*, *Dachstain*. 1675

Città de due Ponti, *Condè*, *Bouchain*, *Aire*, *Linck*, *Montbelliard*, *e F. Scaletta*. 1676

Valencienne, *Cambray*, *S. Omer*. 1677

Ipre, *Leaue*, *Puicerda*, *Tabago*. 1678

Casale, *Argentina*. 1681

Courtray , *Dismunda*. 1683

Città, *e Cittadella di Lucemburgo*. 1687

Filisbourg. 1689

Mons, *Villa Franca*, *Nizza*, *S. Spirito*, *Monte Alban*, *Chambery*. 1691

Città, *e Cittadella di Namur*, *Monmilian*. 1692

Città, *e Cittadella di Charleroy*. 1693

Palamos , *Girona*, *Oleritz*. 1694

Rhodes, *Barcellona*, *&c*.

Pag. 53. Vbi de Codice Ludouicęo, *post carmen*:

Plusque tuo titulos, quàm nomine Cæsaris, ornant.

Add. Quis Codex norma est potior, florentia Francis
Regna docent , latè cunctis magè florida Regnis.

Pag. 65. ad illud Emistichium;

Obruimur factis , &c.

Q 9 *Nota*

Nota Add. Meritò proinde Rex delegit in Insigne proprium Solem cum lemmate:

NEC PLVRIBVS JMPAR.

Pag. 65. Vbi de Regijs operibus, post vltimum carmen;

Conſpicuo trepidas ſolatur lumine pinus.

Add. Altera vbi Oueſſan ſummo tumet Inſula dorſo,

Nunç ſubit aſtra Pharos, dubijs quæ nauibus albo

Felicem ſignet tenebroſa per æquora curſum.

Nota addat. Turris altera albicans nuper excitata in parte eminentiore Inſulæ Oueſſant, alta pedes 80; vnde ad decem leucas proſpectus per noctem in mare eſt.

Pag. 67. Vbi item de operibus Regijs, post illud carmen:

Et Regem tacito dicturum in ſæcula ſaxo.

Add. Textile prodigium, nemorumque nec vna ruina eſt

Machina, quæ Regis laxat ruralibus vndas

Delicijs, animatque tuos, Verſalia, fontes

Prodiga, & arentis iugulat ieiunia glebæ.

Nota deindè addat.

Admirationi eſt cum ædificijs moles immanis Marlienſis, de Marly, *ſufficiendis aquis innatæ ſterilitati Verſaliæ, erecta anno* 1683.

Pag. 68. Vbi de Templis plus quingentis à Ludouico extructis, poſt carmen;

Solis

Solis

Exuperant cursus, anno voluente, diurnos;

Add. Et Costantini pia munera lumine fuscant.

Pag. 69. Vbi de Regis pietate, ad calcem Notæ 110. *post verba: Ita P. Menestrier.*

Add. Cætera id genus, & quidem preclarissima, vide infra pag. 108. 109. 110.

Pag. 70. Not. 112. *Ad calcem, post verba, fœminæ desudant.*

Add. De his Numisma videre est lemmate circumducto:

PROVIDENTIÆ VICTRICI.

Infrà HORREA, ET ARMAMENTARIA

UBIQVE CONSTITVTA.

M. D C. LXXII.

Pag. 71. Vbi de Seminarijs Iuuenum, qui ad militiam formentur; ad finem Notæ 113. *post verbum, subrogandi,*

Add. De Seminarijs id genus P. Menestrier in suo Opere eruditissimo pag. 65. Ita scribit, loquens de Rege: Assembla de ieunes gens en diuerses Places de son Royaume, pour les former à tous les Exercices Militaires. *& infra pag. 67.* E'tablit de Compagnies de Cadets dans plusieurs Places frontieres pour les dresser aux Exercices Militaires.

Pag. 93. Not. 160. *Vbi de expulsis à Gallia Hæreticis, post verba*

vltima eiusdem Notæ, Regni iacturam non formidare.

Add. In hanc rem P. Meneſtrier pag. 67. ita ſcribit:

Le ſerment que le Roy auoit fait à ſon Sacre, & l'amour de la Religion en furent les ſeuls motifs, & toutes les raiſons de Politique qui pouuoient le detourner d'vne entrepriſe, dont les ſuites paroiſſoient dangereuſes pour le repos de l'Etat, & les ialouſies de ſes Voiſins, ne purent l'emporter ſur la reſolution qu'il auoit priſe de purger ſes Etats d'vne Hereſie qui auoit etè le leuain & la ſource fatale de tant de rebellions ſous les Rois ſes predeceſſeurs.

Pag. 98. Not. 169. poſt verba: ſuæ ſedi Antiſtitem reddit:

Add. Pulcherrimum in id cuſum numiſma cum lemmate:

VICTORE REGE VICTRIX RELIGIO.

Pag. 101. Vbi de Delphini geſtis triumphalibus, ad finem Notæ 174. poſt illa, Bingium, Offemburgum:

Add. De Delphini virtute bellica ita Gallicè P. Meneſtrier pag. 77. Monſeigneur le Daufin le *20.* d'Auril *1690.* alla s'oppoſer à toutes les forces du Nort qui venoient ſur le bord du Rhin, pour chercher à ſe faire des paſſages, & des entrèes dans nos Prouinces; mais la ſage préuoyance du Roy auoit préuenu leurs efforts, en confiant le ſoin de ſes Troupes à ce digne Fils, qui, à

l'exemple

l'exemple de Fabius si célebre parmi les Romains, dissipa ces nombreuses Armées, sans leur donner de combat, & faisant subsister la sienne sur les Terres des Ennemis, qui n'oserent pas l'attaquer.

Pag. 102. *ad calcem Notæ* 177. *vbi de Regijs Nepotibus; post illa verba;*

Magno Auo magnis facinoribus futuri suppares arguuntur;

Add. Nepotibus enim teneris Ludouicus ità Auus est, vt sit idem Patruus, Monitor scilicet seuerus tantùm ad triumphale virtutis incitamentum.

Pag. 105. *Not.* 182. *Vbi de Piratis attritis, post verba vltima: tutum commercium.*

Ad. Illustre est de hoc facinore numisma, in quo Afer ad pedes Victoriæ cum titulo:

DE PIRATIS TURCA SPECTANTE.

Infra CHIO.

M. DC. LXXXI.

Pag. 110. *Vbi de Regis pietate, post carmen secundum;*

Eximis, æternæ simul & discrimine vitæ:

Add. At Rex (quàm memori labentur sæcula passu!)
Audiet vsque Pius mendico murmure linguæ
Innumeræ, nec pauper erit de paupere fama,
Hospita quem censu nutrit prædiuite Sedes

Collectum, vitæque simul subducit inerti.
Ingens vel Patri exemplar, calcarq; Latino,
Hospita Romuleo domus vnde in culmine surgit.

Nota deindè

Add. Inter Opera Regiæ pietatis, de quibus etiam supr. pag. 68. & 69. excellit Parisiis Domicilium Hospitale, Gallicè de la Salpetriere, *in quo Pauperes omnes mendicantes congregati aluntur, educantur, & pro suo quisque ingenio, & virium modo exercentur, ad rem datis ordinatim legibus. Completum tantum Opus Europà totà celeberrimum an.* 1656. *Excusumque Numisma, in quo Graphis Ædificij, & Pietatis Effigies cum duobus nudis Infantibus, quorum alterum gestat, alterum manu tenet, hoc verbo:*

PIETAS.

Et in gyro

ALENDIS, ET EDVCANDIS PAVPERIBVS.

Simile postea Domicilium Hospitale Romæ in Cælio excitauit Innocentius XII. Pontifex Maximus.

Pag. 110. *Vbi de Maleficis, sceleratisque multà, & penà multatis, ad carmen tertium:*

Te Rege, exilio scelerum damnata propago;

Add. Nota: Expressum id etiam per monumentum de Hollandico bello ex ære fusum, Gallicè Jetton, *in quo Angelus dexterà*

dextera fulmen, ſiniſtrà clypeum Lilijs ornatum tenens; cum lemmate ex Euangelio:

MALOS. MALE. PERDET.

Infra 1672.

Pag. item 110. *ad initium Carminis quarti:*

— Unca manus &c.

Add. Nota; Docet itidem monumentum æreum, Gallicè Jetton. *in quo effigies Iuſtitiæ cum gladio, & libra, his verbis circum ſcriptis:*

HARPIAS. PELLERE. REGNO.

Infra 1663.

Pag. 111. *pro carmine* 20.

Rerum anima arcanum eſt &c.

Nota hæc

Add. De ſecreto, cuius Rex ſummè tenax, procuſum Numiſma, in quo ſecreti ſimulacrum digito ori admoto, cum lemmate:

COMES CONSILIORVM.

De Regis virtutibus, & quæ verè Regem faciunt, audi P. Meneſtrier pag. 56.

Le ſecret qu'il a introduit dans ſes Conſeils, la facilitè qu'il donne a ſes Pauples de l'approcher pour luy preſenter leurs requêtes, ſon aſſiduitè aux Affaires, ſa celeritè, ſa vigueur, & ſa ſageſſe dans l'execution de

ses desseins, son les suietes de plusieurs Medailles qui sont autant d'Jmages de ses Vertus heroiques.

Pag. 112. *Vbi de Regis constanti, & assidua vigilantia, ad carmen secundum*; Aduigilas, pauidoq; vigil tutaris ab vngue,

Nota add. Ludouici vigilantiam constantem, & assiduam testatur Numisma, in quo Princeps instar Nauicularij tenentis clauum; cum lemmate:

CONSTANTIA VIGILANTISSIMI PRINCIPIS.

Pag. 112. *Vbi de Ludouici eximio regimine, post carmen;*

Mente Numam, priscumq; Ostrum moderamine vincis;

Add. Vt benè culta rudes populos tua Gallia vincit.

Pag. item 112. *Vbi de Suecia tutela, post finem Notę* 192.

Add. Eminet etiam Regum à Ludouico protectio in Carolo I. Rege Angliæ, quem Regno expulsum à Cromuello anno 1649. perhumaniter excipit; & presertim in Iacobo item Angliæ Rege extorre, de quo infra pag. 120. *not.* 204. *vt mittam Casimirum Poloniæ Regem, quem anno 1669 splendidè recipit, & Christinam Reginam Suecię anno 1656 magnifico apparatu acceptam.*

Cusum proindè Numisma an. 1694. *de Gallia Regum Asylo, Ludouico Magno regnante, cum epigraphe:*

HOSPITIVM REGIBVS.

Pag. 114. *Not.* 194. *Vbi de promotionibus ad Ordines S. Spiritus,*

& S.

& S. Michaelis, post verba: lege in libro P. Menestrier sup. cit.

Add. Anno deinde 1675. *Vtriusque Ordinis Equitem renunciat Ioannem Sobieski Poloniæ Regem, Viennæ Austriæ à* 200000. *Turcis obsessæ gloriosum An.* 1683. *liberatorem; eidemq; Torquem manu Marchionis de Bethune Oratoris sui impertit An.* 1676. *Ex quo intelliges Equestrium Ordinum Ludouici, etiam apud Reges, æstimationem.*

Præterea post illa verba: Delphinum etiam in eosdem Ordines meritissimò cooptat;

Add. Denique, vt horum Ordinum numerum Rex impleret; multi enim Equites ab acceptione anni 1662. *desiderabantur, id honoris contulit emeritis Regni Primatibus* 74. *Anno* 1689.

P. Menestrier Catalogum texit, cuius initium ita Gallicè illustrat primus

Cesar Cardinal d'Etrées, du Titre de la Trinitè du Mont, Protecteur de Portugal, & Directeur des affaires de France à Rome, où il reçût le Cordon. Il ètoit auparauant Euêque, Duc de Laon, & Pair de France.

Pag. 115. *Vbi de instauratis equitum Ordinibus, post carmen;*

Acceptamque refers Regi ad sublimia vitam:

Add. Gloria sed Regis tota est nuperrimus Ordo,
Quem clarat centenus Eques, sed largiùs Author,

Sol Regum radijs ambit, LODOICVS & alter
Æthere nunc regnans, cognata lucè coronat
Nominis, & diû tutatur muricis vmbrâ.

Nota deindè addat.

Anno 1693. Ludouicus Magnus S. Ludouici Ordinem Equestrem fundat ex centum delectis Equitibus constantem.

Pag. 116. Ad carmen sextum:

Cum timeat, sic Francus amat &c.

Add. Nota; Amorem Galliæ in Regem petere est à Numismate duplici; quorum alterum excusum, pro iniqua Regis valetudine; alterum pro salute recuperata.

In primo Gallia est genu flexo ante aras, his verbis circumductis:

PRO SALVTE OPTIMI PRINCIPIS.

Infra: VOTA GALLIÆ.
M. DC. LXXXVI.

In secundo stans Gallia sublatis ad Cælum manibus, cum lemate:

DEO CONSERVATORI PRINCIPIS.

Infra: GALLIA VOTI COMPOS M. DC. LXXXVII.

Pag. 116. ad verba carminis septimi;

Facilis Maiestas pectora mulcet;

Nota hæc Add. Docet Numisma his verbis circum notatis:

FACILIS. AD PRINCIPEM. ADITVS.

Infra: FELICITAS PVBLICA.
M. DC. LXI.

Pag.

Pag. 116. *Nota* 197. *post verba:*

JVSTVS dictus.

Add. Extat de illius iustitia tàm distributiua; quàm commutatiua Numisma cum imagine sedentis Themidis alterà manu Cornucopię, alterà libram tenentis, cum epigraphe:

ARTE MEA BIS JVSTVS.

1653.

Pag. 117. *Ad carmen secundum:*

Magnus vbique audis &c.

Add. Nota: Consonat Impresia apud Menestrier, in qua Sol, cum titulo:

PAR TOVT GRAND.

Pag. 117. *Vbi de monumentis ad gloriam Ludouici Magni, ad finem Notæ* 178. *post verba:* LVDOVICO MAGNO:

Add. Huiusmodi multa passim inuenies apud P. Menestrier; sed in primis pag. 69. ita scribit.

Le Preuôt des Marchands, les Echeuins, Officiers, & Quarteniers de la Ville &c. ont fait eleuer dans la Cour de l'Hôtel de leurs Assemblés vne Statue de bronze de Sa Maiestè, & ont fait de ce Palais, qui a auiour d'huy pour Inscription : SVB LUDOVICO MAGNO FELICITAS ORBIS, vn Capitole de Louis le Grand, en y mettant sur des Tables de marbre

les Annales de sa Vie depuis l'an 1660. iusqu'à l'an 1690.

Pag. 118. *Not.* 202. *Vbi de Ludouici potentia, post verba vltima eiusdem Notæ:*

Terra, Marique Potens

Add. Huic non impar altera apud eundem Authorem Impresa in qua Firmamentum Stellis inspersum, & Solis ortus iam imminens, cum lemmate:

MILLE NE FEROIENT PAS SE QV' IL FERA LVY SEUL.

Pag. 121. *Vbi de tota Europa in Ludouicum armata, ad illud carmen:*

Solus, & oppositam magè firmus distrahis vndam:

sequens Nota

Add. Cadit hic aptius Inscriptio in argenteo Numismate incisa post difflatum triplex fœdus in Ludouicum, de quo sup. pag. 41. not. 50.

DVM
LVDOVICVS MAGNVS
OBSEQVENTE FORTVNA
TOTIVS EVROPÆ CONIVRATÆ,
VIRES, ET CONATVS
FORTITER REPELLIT
ARMISQVE FINES JMPERIJ LONGE'

PRO-

PROMOVET
GALLIA FELIX, ET QVIETA.
M. DC. LXXVIII.

Pag. 121. *ad illa carmina:*

obnitentibus obuius armis
Solus, & oppositam magè firmus distrahis vndam:

Add. Nota:

Quadrat bellè in Ludouicum ætate prouectum Impresia de ipso iuniore excogitata, in qua Sol oriens, cum epigraphe;

PLVS IL VA S'AVANÇANT,
PLUS IL SE FORTIFIE.

Et altera similiter, in qua Sol in Zodiaco, cum lemmate;

SANS IAMAIS S'ECARTER TANT SOIT PEV,
DE SA ROVTE.

Pag. 123. *post illa verba prope finem Notæ* 208. *ærarijs nunquam deficientibus,*

Add. Nec Militari ordinario, nec Militari extraordinario, nec Regio (tribus enim ærarijs pollet)

Pag. 123. *Ad calcem Notæ* 208 *post illud; pacem Europæ donat anno* 1697.

Add. iterum re ipsa testatus, quod olim expressum Numismate, cum titulo:

PACEM PRÆFERRE TRIVMPHIS.

Infrà: VOTA ORBIS.

1668,

Pag. 124. *Ad secundum carmen:*

Rex non visa alijs Solio prospectat ab alto.

Add. Nota; Accinit Impresia apud Menestrier, in qua Sol, cum lemmate:

IL VOIT TOVT PAR LVY MESME.

Pag. 124. *Ad illud carmen:*

Ut similem cudant sudabunt sæcula Regem.

Add. Nota: Bellè id exprimit Impresia apud Menestrier, in qua Sol, cum epigraphe:

QVAND TROVVERA TON SON SEMBLABLE?

Pag. 124. *Not.* 209. *post verba:*

Ludouici gloriæ adijcies.

Addat. Id omninò certum Reges omnes præteritos Galliarum transgressum felicitate, & fama, vt Imperij diuturnitate. P. Menestrier Histoire du Regne de Louis le Grand *pag.* 16. *initium Regni eius desumit ab anno* 1643. *Maij* 14. *Anno tamen* 1653. *suæ tutelæ factus declaratur; & anno* 1661. *Regni gubernacula per se solus tractare incipit, & quidem felicissimè, vt patet ex Numismate, in quo Sol sedens in Mundi globo, cum lemmate:*

ORDO

ORDO, ET FELICITAS.

Infrà verò: CVRAS IMPER. CAPESSENT.

M. DC. LXI.

Pag. 125. *Ad vltimum illud Distichon*:

At si præteritum recta est mensura futuri:
Nec Potior, nec Par effœto surget in Orbe

Ad initium Notæ 210.

Add. Assonat Impresa apud Menestrier, in qua Sol, cum Epigraphe:

SOIT DEVANT, SOIT APRES, TOVT EST MOINDRE QVE LUY.

Pag. 125. *Nota* 210. *Verba illa: Inter ducentas Vrbes, lege, sic addito aduerbio:*

Inter Vrbes amplius ducentas.

Notæ pro politura.

Pag. 8. *Carmen secundum sic leges:*

Et ripas spargat Daphnes illustribus vmbris.

Pag. 23. *In quinto carmine lege:*

Et tumidos repleant conferto nomine fastos,

Pag. 52. *leges in secundo carmine:*

Atque operum congestus honor &c.

Pag. 56. *Carmen vltimum leges:*

Et Sophiæ omnigenos latè diffundere riuos.

Pag. 62. *Leges carmen primum:*

Quæ diuiſa plagas, atque altiùs oppida clarant,

Pag. 75. *Leges in carmine tertio decimo:*

Lento affundente metallo,

Pag. 102. *Leges penultimum carmen:*

Obluctantem aditum nudant ſudantibus armis.

Pag. 106. *Primum carmen leges:*

Francorum vndiuago ſic nuptà Doride Marti.

Pag. 120. *Leges ſeptimum carmen:*

Gratati aggeſtos ignotà voce triumphos.

Pag. 121. *Leges ſextum carmen:*

Solus, & oppoſitam frangis conſtantior undam.

Et infra nonum carmen:

Anglorum, & Batauûm non vna ruina carinis.

Pro Orthographia.

Lemma, non Lema,
vbi occurrat, lege.

INDEX
Rerum Notabilium.

Litera p. paginam significat, litera n. Notam.

Alcidec

Arces

Atrium

Bella

Philis-

Latrun-

S *Mathe-*

Ludo-

Ludo-

Machi-

M

Missiones

Nomen

Pater

Pontes

Sequana

Stereli-

FINIS.